



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries



AD DANIELIS
HOFMANNI
demonstrationes ad
oculum,

THEODORI BEZÆ
Conspicillum.



GENEVÆ,
APVD EVSTATHIVM VIGNON,
M. D. LXXXVI.

AND GERMANY

1850





CHRISTIANO LECTORI

gratiam & pacem à Deo Patre &

Domino nostro Iesu Christo.



CHRISTIANE Lector quisquis es, Hæc te rogat per Dei nomē Theodorus Beza, ne Sophista quidē, nedū Epicure⁹, vt ab aduersario suo præter veritatē & intolerabili cōfidentia insimulatur, sed, per Dei gratiā, & veritatis & pietatis amans, & pacis Ecclesiarum, quod Deus nouit, studiosus. Primū vt tibi persuadeas, ipsum perinuitum & nihil tale cogitantem, initio fuisse ad hoc certamen summa vi pertractum, ad quod nunc animo prorsus reluctante reuerti cogitur: non quòd optimæ causæ diffidat, aut quòd aduersarij infirmis certè lacertis succumbere vereatur, sed quòd nullum finem istarum scriptitationum futurum videat: ex quibus hodie tam multi nomē potius, quàm veritatem querunt: & tantum ab sit vt sic agendo controuersæ in nostris Ecclesiis exortē extinguantur, vt contrā priuatis iniurijs ac odiis magis ac magis inflāmentur. Deinde illud quoque, eodem studio, petit Beza, vt quicquid alterius multiplicis factionis homines & scriptis & expulso debachentur, memineris, neque de Optimi Maximi Dei omnipotentia, neque de fœderis illius siue Testamenti æterni veritate & auctoritate quicquam à nobis ambigi. Quis enim vel in speciem Christianus his de rebus litem moueat? Sed de his inter nos & illos controuerti. Primū an *arbitra* uelle possit Deus, siue à seipso & ab iis quæ se uelle verbo suo immoto sit testatus dissidere: quod nos quidē negamus: deinde quæ sit illius fœderis ab ipsi⁹ sacræ Cœnæ Domini institutionis vera & orthodoxa explicatio disceptari, minimè, certè ex insanæ carnis sensu (quod præter veritatē nobis obiicitur) sed ex capitū Christianæ fidei analogiā, & cæterorū scripturæ locorum accurata collatione, puro, denique Dei verbo depromenda. Præterea illud quoque, Christiane lector, tibi affirmat Beza, non de sacramentorū origine vel materia duplici: non de forma: non de veritatē: non denique de ipsa

cū ipsomet Christo vera & reali cōmunionē, inter illos & nos. disceptari: sed hæc demū in disputationē vocari an sacramentalis signorum & rerū sacramentaliter significatarum coniunctio ex Christi ordinatione, id postules vt cum signis re ipsa suāque substantia simul coexistat in terris res cœlestis, id est ipsamet Christi caro: quod nos vt cum Christianæ fidei norma *ἰσχυρῶς* & mysticæ nostræ cum Christo comparationi ex diametro repugnans inficiamur: an verò in eo vno sita sit vt tã verè mentis fidei spiritualiter ad vsum spiritualem, id est ad mysticam cum Christo coniunctionem & vitam æternā inde hauriendam, res cœlestis tum in verbo simplici tum in sacramētis præbeatur: quàm verè & corporali modo corporea signa in sacramētis corporibus nostris præbentur, & corporis organis sumuntur. Hæc, inquā, illa infelix controuerſa est, quā quū res ipsa ostendat, nulla re magis quàm huiusmodi priuatis scriptis & clamoribus exacerbari, obstetor te, quisquis es, vt quàm chara est tibi Christi gloria & Ecclesiæ nostris tēporibus renaſcentis salus, vt si quid apud Christianos Principes & ciuitatū Euangelii reformationē amplextarum magistratus auctoritate vales aut cōsilio, coneris ab illis impetrare, in primis vt tumultuosos Spiritus tum in scholis, tum in ecclesiarū pulpitis auctoritate sua cohibeāt: deinde si fieri potest, illis ostēdas quàm non perutilis modo, sed etiā prorsus sit necessarius verè doctorū & doctrinæ pietatis amātiū, ac moderati ingenij vtrinque euocatorū hominū conuentus, in quo, adhibita ipsorū Principū ac magistratū auctoritate, sicut in Ecclesia pura & Orthodoxa semper factitātū est, omnes istæ cōtrouersiæ, ex puro puro Dei verbo, legitima præeūte ex reorū scriptis & verbis cognitione, sine vllō cuiusquā præiudicio, Deo fauente deci dantur. Ego quidē, qui me tanquā scopū à tã multis peti video, nec atatē nec aliud quicquā causatus, si me superstitē esse Deus voluerit, ne nunc quidē sistere me apud illos Christianos Principes, aut ciuitatū magistratus æquis conditionibus detrecto, & in legitimo de quo dixi cōuentu, omnium quæ scripsi rationē reddere paratus, nunquā cōmittā vt inritō possim videri sciens prudēs in Ecclesiæ pacem peccasse, vel pacem publicam remoratus.

Geneuæ, Nonis Augusti, anno vltimæ Dei patientiæ 1586.

THEODORVS BEZA
Ecclesiæ Geneuensis Minister.



A D D A N I E L I S
HOFMANNI DEMONSTRATIONES
ad oculum.

THEODORI BEZÆ
conspicillum.

IVAM Apologiam Hofmannæ, à librariis nostris frustra autumnalibus nundinis Francfurtensibus quæsitam, vernis demum superioribus emptam, non nisi extremo mense Maio accepi, legi, non probavi: quòd mihi pessimam causam in ea tueri magis etiam atque etiam videaris: & paucis exceptis locis, illam arbitrer, siue quòd meus hic sit stupor, siue quòd tu potius fallaris, ne refutatione quidem apud Theologos eruditos indigere. Respondebo tamen, partim quòd me videã, nisi tuis ad oculum demonstrationib⁹ respòdero, abs te haberi conuictum: tantum abest vt silentium tacenti profit: partim ne tuis illis *μωρικω-*

λυκείοις me percussum putes, quibus per-
 terrefieri me posse existimasti. Confiden-
 ter id quidem nimiùm. Nam, in eam qui-
 dem doctrinam quam profiteor, non infi-
 cior quin tibi inquirere licuerit: meæ verò
 conscientix ecquis te inspectorem nedum
 iudicem constituit? Neque sanè mihi vn-
 quam persuaseris deserti verbi Dei, impie-
 tatis, blasphemix, conculcati fœderis Do-
 mini, vt vos *ὡς αὐτὰ πρᾶγμα εἶναι* consueuistis,
 reum teneri, vel sophistices coargui, qui
 propter veri corporis Christi Organici per-
 petuam veritatem, & plurima, tum pror-
 sus *ἀσύστατα*, tum Christianæ fidei capiti-
 bus necessariò repugnantia, dogma ve-
 strum de reali ipsius carnis Christi, simul
 & in terris & in cœlis præsentia, & orali
 eiusdem perceptione auersatus, doceat
 institutionis Cœnæ Domini verba, non
 simpliciter *καὶ τὸ ῥητὸν* intelligenda, sed ex
 analogia fidei explicari oportere: & hunc
 esse non dentis sed mentis cibum, sola fide
 spiritualiter percipiendum tueatur.

Cæterùm quoniam in tua præfatione,
 in qua neque viuis neque mortuis peper-
 cisti, refricanda tibi existimasti plurima
 millies refutata, age cuiusmodi sint illa cõ-
 sideremus. *Zwinglius*, (inquis, pag. 3.) *Primo*
 discessu

disce, sui à proprietate verborum Christi præ-
tendit meras Capernaiticas & carnales cogi-
tationes. Ego non ipsum Zuinglium, nunc
in Domino feliciter quiescentem, & olim
excellens Dei in Euangelio nostra memo-
ria instaurando instrumentum: sed verita-
tem, cuius ille fidus fuit præco, tuendam
hîc suscepi. Sanè igitur ita est vt tu dicis,
neq; id rectè ab eo factum esse inficiari po-
tes. Sed cur crassas istas cogitationes, quæ-
nam sint non explicas? An, quòd sint illæ
ipsæ quas defendis? Realis nimirum ipsius
Christi cum pane, & sanguinis cum vino
coexistentia, & corporalis eorundem esus
ac potus, dignè & indignè accedentibus
communis? quæ quum pro veris à vo-
bis affirmantur, ego quidem videre non
possum quânam à vobis Christus qui sit ve-
rus Deus & homo inseparabiliter, non sta-
tuatur, disertè & expressè Deus in panis
& esculentus, nec qua ratione possitis
meram illam *σάρκοφαγίαν* excusare. Quod
enim excipere consueuistis: *Lutherum has
cogitationes toto pectore fuisse auersatum: nec
propterea tamen verba Christi deseruisse* (tibi
enim deserere Christi verba dicitur, qui si-
quis illa *καὶ τὸ πρῶτον* non interpretatur) pror-
sus nihil aliud est, quàm negādo quidpiam

affirmare, & affirmando negare, quum Capernaiticè corpus humanum, seu particulatim, seu solidum, seu visibiliter, seu inuisibiliter ore manducare, & sanguinem humanum ore bibere, & verba illa Domini κατὰ τὸ ῥητέν interpretari, nō magis inter se dissideant, quàm quæ necessariò coherent.

Quaro præterea, Hofmanne, etiam si vobis largirer fieri posse vt auersari dicatur crassas cogitationes, qui oralem esum & potum retineat cur non contrarium vitium æquè refugiatis. Video enim ex vestro dogmate carnem Christi in eam vsque subtilitatem & tenuitatem vel potius οὐδεύοντα redigi, vt inuisibilem & illocalem illam statuatis. Quantò verò rectiùs quàm vos, sentimus, vtrumque portentū repudiantes, & tamen manere suam verbis Christi veritatem, sicuti par est, tum in sacramentali præbitione, tum in spiritali per fidem perceptione affirmantes?

Exagitas postea pag. 5. quòd idē Zuin-
glius, beatæ memoriæ liberè & ingenuè
scripsit. *Nullum videlicet sibi fuisse fortio-
rem auctorem, vel magis proprium doctorem
eius quam profitetur sententiæ, quàm ipsam fi-
dem.* Sed quo tandem iure istud reprehend-
dis? Sic enim vir ille, verè Christiano ped-
dis

ctore præditus, testatus est, sese non cuiusquam hominis auctoritati addictum, sed ex fide ipsa Christiana, non orthodoxas huius loci interpretationes animaduertisse, & veram eius sententiam didicisse. *At enim*, inquis, *fides non est verbo præmittenda.* Quasi verò fidem verbo præmittat, qui de loci alicuius in scripturis interpretatione dubitans sitne orthodoxa an secus, statuatur se non posse alia meliore vel expeditiore via veritatē perspicere, quàm si (veluti monet Apostolus ad Roma. 12. 6. & ut res ipsa postulat) ad normam & regulam seu ἀναλόγαν capitum Christianæ religionis illam exigat.

Quis enim ambigit, quin vera sit doctrina, quæ cum illis congruit: falsa quæ ab illis dissidet? quod si à vobis obseruaretur, minimè profectò, ex istis institutionis Cœnæ Domini verbis, nouum fidei articulum, ut & Pontificij fecerunt, extrueretis, cæteris extra controuersiam positis fidei articulis ex diametro contrarium: sed veram nobiscum sententiam essetis iam pridem amplexi. Estne verò qui hanc fidei analogiam obseruat, Enthusiastarum similis, qui neglecto Dei verbo, suis speculationibus nituntur, aut ipsū Dei verbum ad ipsas in-

fectunt? & tamen tu sic colligis.

Sed & istud cuiusmodi tandem est, *Idem* (inquis) pa. 8. *testatur se videre Τροπικὸς dici panem esse corpus Christi, sed in qua voce tropus lateat, non videre.* Quid hîc verò inest vitij? Fatetur vir integerrimę conscientia, se initio apud se non potuisse dignoscere, in qua potissimùm voce tropus esset quàm appositissimè collocandus. Quis verò miretur, plenam statim lucem, illum intrueri non potuisse, qui ex tam profunda tenebrarum specu vix dum emergerat? Tūne verò, Hofmanne, in quam multis factis d u fuerit Lutherus, vt ipsemet testatur, hallucinatus non ignoras. Et quæso num tam fœlici ingenio præditus es, vt animaduersa loci alicuius aliena & incommoda aut etiam falsissima interpretatione, quænam & vbi sit adhibenda emendatio statim peruideas? & an illius cæci oblitus es, cui Dominus non vnico momento, sed certis demùm gradibus, visum restituit.

Quæ postea sic in eundem euomis, vt nos eadem spurcitie aspergas, *Libidinosam ausus fidem siue doctrinam quam profitemur, appellare, quòd tropum modò ad hanc modò ad illam particulam nonnulli nostrum applicuerint, & eo vsque progressus, vt quod ido-*
latris

Iolatris exprobrāt Propheta modo ad hoc, modo ad illud idolum confugientibus, nobis attribuas, neque te neque nos decent. Iſtam certè diuerſitatem noſtram nunquam oſtendes quidquam in ipſa ſententia variare. Num enim eos qui pronomen, Hoc, interpretati ſunt ipſam Cœnæ Domini actionem aut feſtiuitatem, ita inſaniuiſſe putas, vt illud propriè ad ipſum panem retulerint, ac non potiùs ita ſignificarint, hunc panem non eſſe ſimpliciter in ſeſe & extra legitimum uſum conſiderandum? Nam in hoc maximo errore verſantur Pontificij, in quem etiam, quodam loco Cyrillus ipſe videtur inclinare. Tropum autem, ſiue in cõpula colloces (quod mihi quidem, vt & D. Zuinglio, maxime probatur) ſiue in prædicato, quod D. Oecolampadio, & aliis plurimis uiris maximis placuit) & quod omninò locum habet, quoties in patrum ſcriptis, corpus Chriſti creati, in terram cadere, conſumi, uideri, tangi: at cur non etiam pari eadẽmque ratione quam caro comedi, & ſanguis bibi) dicitur? uerbis enim non reiſa quæ vt repugnantia committis, conueniunt. Eandem enim eſſe harum enuntiationum ſententiam quis non uidet, Hic panis eſt ſacramentale, uideli-

cet coniunctione & præbitione, corpus
 incum traditum pro vobis: & hic panis est
 Sacramentum corporis traditi pro vobis.
 At inter vos qui tamen omnes dici & ap-
 pellari Lutherani vultis, tu videris quàm
 benè per omnia conueniat. Alij certè ve-
 strùm synecdochen, quã frustra emollire
 studes, in subiecto constituunt, qua fiat vt
 contentum, id est vobis ipsis interpretibus,
 id quod est in, sub, vel cum continente,
 cum ipso continente, id est totum, appel-
 latione alterius tantùm partis, nempe pa-
 nis intelligatur. Alij verò per pronomen
 Hoc, apertè negant panem significari, vt
 ex Malbrunensi colloquutione liquet. Alij
 denique (nosti quos intelligam) maximis
 clamoribus contendunt, præsentiam illam
 realem corporis Christi in, sub, vel cum pa-
 ne, à sola hypostatica vnitione totam pen-
 dère, qua fiat, vt tam vbique sit & in rebus
 omnibus Christi humanitas, quàm Christi
 Diuinitas: totam inquam pendère, non au-
 tem verbis institutionis niti: vt pote quibus
 duntaxat fiat & declaretur, corpus, quod
 antea erat in, sub, vel cum pane, nobis in
 Domini Cœna accipiendũ & comedẽdum
 præberi: quem maximum errorem vsque
 ad eò asseuerant, vt expressè dicant, sese, ni-
 si hoc

si hoc ipsis concedatur, ne verbum quidem posthac de Cœna Domini nobiscum commuturos. Quid ampliùs? T este ipso vestro Selneccero aduersus Exegesin Saxoniam, Lutherus ab initio cum Calvinistis, quos vocatis, sensit. Tutè verò aduersus Bremenses scribens, dissimulare non potes D. Philippum metonymicè institutionis verba interpretantem, sicut fasces dicuntur esse imperium, à prima sua sententia ad nostram declinasse. Sed & illud constat Lutherum acerrimum illum, quoties ipsi libuit, transubstantiationis oppugnatorem non tantum antiquissimis illis suis libris de captiuitate Babylonica, verum etiam anno 28. in Confessione Maiore, atque adè anno 41. id est, quinque tantum ante mortem annis, dogma Transubstantiationis indifferens statuiffe. Immò illum vno & eodem anno, nempe 23. contra Regem quidem Angliæ, anathema transubstantiationi dicere: ad fratres autem Valdenses scribentem affirmare quòd *error quidem sit asseuerare panem non manere in Sacramento: sed tamen in illo errore non multum sit positum, modo corpus & sanguis Christi cum verbo ibi relinquatur.* Quorsum autem ista: nempe, non vt propterea maxi-

morum virorum auctoritati, quorum opera Dominus, nostra memoria, suam Ecclesiam à Papistica Babylone asseruit, quidquam detrahatur: sed vt αὐτὸς ἔφα in Ecclesia soli Dei verbo tribuatur, ex Fidei Articulorum analogia explicato: & vt vestrorum nœuos ad eandem cum nostris trutinam appendere memineritis, quum utrosque potius humaniter nos tegere & excusare nostræ quoque conditionis memores, oportuerit.

Postea, nempe pag. 13. & deinceps, gravissimè conquereris, quòd vobis, id est carnali quam statuitis mādicationi obiiciantur illa Christi verba, Caro non prodest quidquam, quæ disertè negat Lutherus de carne Christi accipienda, sed duntaxat de carnali intellectu & sensu. Quasi verò sermo quo carnalis carnis Christi esus redarguitur, nihil ad carnem Christi pertineat: aut quasi carnalis, siue, (vt loquitur Lutherus, in illum locum scribens) corporalis manducatio illic à Christo reprehensa, diuersum quidē sit ab ista vestra, quam oralem vocatis, manducatione: quasi denique ipsius carnis Christi communicationem tollamus quum illam totam fidelis mentis esse non dentis, asserimus: alioqui
 nihil

nihil profuturam, vt hîc expressè Christus declarat. Nihil ergo hîc opus est acuto quopiam homine, qualem hîc requiris, *Qui doceat, posito ignoto rectè obiici ignotum, vel negato noto, rectè ex noti absurditate vituperari ignotum:* Sed mihi cōtra, pro meo stupore, opus fuerit, partim Oedipo quopiam, qui tua hæc ænigmata mihi explicet, partim nouo Carneade quopiam, qui nobis demonstret, ignotum esse modum, qui tamen manus & oris, vna eadèmq; actione peragatur, quæ sit tum ipsi carni & sanguini Christi, tum naturali panis esui, & vini potui communis.

Nunquid verò præterea? Imò, inexpiable quoddam scelus, à nobis, quos *conspurcatores Christi carnis* appellas, patratum: *Scribitur enim* (inquis pag. 16.) *in orthodoxi Calvinianorum consensu præfatione, Nullum carnis Christi usum esse extra redemptionis nostræ negotium, passione scilicet apud Calvinianos terminatum: Hæc blasphemiam blasphemiarum.* Immo, Hofmanne, quid hoc rei est?

Primùm enim istud *passione terminatum* tuum est glossèma. Quo niã enim illud certerè perspicuum est, plenè sacrificio Christi expiationem nostrorum omnium pecca-

torum fuisse confirmatam. Num verò propterea negare nos existimas, sicut traditus est Christus propter delicta nostra, sic excitatum illum fuisse à mortuis propter nostram iniustificationem. Et num inanem à nobis statui arbitraris eius ascensionem supra omnes cœlos, vbi assiduè interpellat pro nobis, vnde nostros omnes hostes oppugnat, vnde per prædicationem verbi, & Sacramentorum vsum, Electos suos quotidie magis ac magis sanctificat, & vnde venturum illum ad consummandam suorum salutem expectamus? Christus certè extra redemptionis nostræ negotium, id est, nisi factus fuisset pro nobis patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, nobis esset inutilis: sed tibi, Hofmanne (quod tibi Dominus condonet) in hoc vnum intento, vt nobis, licèt profectò immerentibus, maledicas, idem valet, *Extra redemptionis nostræ negotium atque vltra passionis suæ negotium.* Quòd si saltem inspexisses huius verè orthodoxi consensus alteram editionem anni superioris, hunc locum reperisses, totidem hisce verbis scriptum. *Nullus ergo corporalis presentie carnis Christi vsus est, hic in terris, extra redemptionis nostræ negotium, id est, nisi consideretur vt pro*

vt pro nobis in mortem tradita, sicut expresse in verbis institutionis Cœnæ Domini declaratur. Et ne fortè obiicias hæc non fuisse in priore editione totidem verbis expressa, vel hunc locum postea ab auctore emendatum: respondeo, tum ex totius illius loci scopo, tum ex iis quæ statim subiiciuntur, colligere te potuisse, ac etiam debuisse, carnis Christi nunc in cœlis collocatæ, & inde Ecclesiam suam viuificantis, veram perceptionem & communicationem, minimè à nobis expungi, sed eam duntaxat, quam nunc in terris ponitis præsentiam negari, vt Christi veræ incarnationi, ascensioni, & futuræ reuersioni, è diametro repugnantem: atque adeò, vt rem cassam & inanem, etiam si vobis concederetur: quoniam, teste ipso Luthero in illum Ioannis locum. *Christus vult, quòd corporalis manducatio Christi carnis nihil profit.* Ita verò mei accusatio, cuiusmodi tandem est? Scripsi *Capernaitas his verbis, quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad vescendum, vobis non esse, quasi quærentes & erudiri cupientes, de modo edendæ Christi carnis, sed ita significasse sibi horrore esse carnis Christi esum.* Hæc sanè scripsi, quæ vera esse affirmo, nullo modo comparans Caper-

naitarum stultitiam cum Mariæ virginis
 QUOMODO. Luc. 1. 34. Quid autem inde col-
 ligis? nempe (inquis pag. 17.) *Sic consequi, de
 carne Christi simpliciter dictum, quod non
 prodest quicquam, & vanum fore quod de car-
 ne Christi viuifica dicitur. Falsū vtrumque.*
 Nec enim ἀπλῶς, sed ex falsa Capernaita-
 rum hypothese, dicit Christus carnem non
 prodesse quicquam, nempe vt ipsi Chri-
 stum loquutum esse existimabant, & vos
 in Cœna Domini loquutum esse vultis: o-
 re videlicet comesum: quum cibus ore sum-
 ptus, ne corpori quidem vitam suppeditet,
 nedum vt immortalitatem possit su-
 menti tribuere, quod est vnus Spiritus, siue
 Diuinæ virtutis opus, qua præditum esse
 Christum Capernaitas ex præcedente mi-
 raculo discere oportuerat. Quid ampliùs?
 Rursus (inquis pag 18) *sic destruetur id, de quo
 Calviniani, vt indignè tum realem manduca-
 tionem tollant, singulariter gloriantur, nempe
 quod caro Christi, quocunque modo substan-
 tialiter percepta, non possit non viuificare. Im-
 mò illud, Quocunque modo sicut à te tor-
 quetur, quasi videlicet pluribus modis su-
 matur, tuum est glossema. Nec enim alium
 vllum modum Christi carnis, siue in sim-
 plici prædicatione verbi, siue in Baptismi,*
 siue

siue in Cœnæ Domini Sacramentis, apprehendendæ, quàm vnicum illum Spiritua-
lem & qui fidei manu & ore peragitur, ag-
noscamus. Vestrum autem illum esum
oralem corporis Christi tum dignis, tum
indignis communem manifestè & vniuer-
saliter istis Christi verbis abrogari, testibus
etiam ipsius Lutheri verbis affirmamus: à
quibus si postea discessit Cœnam Domini
excipiens, pessimè fecit. Sic enim scribit,
concione in Ioannem 6. *Ait Christus, Caro
non prodest quidquam, & iterum, Caro mea
dat vitam mundo. Quomodo hæc discernemus?
Spiritus discernit. Christus vult quòd corpora-
lis manducatio nihil profit, sed credere quòd
caro sit filius Dei, qui propter nos descendit de
cælis & sanguinem suum pro nobis fudit. Itaq;
si oralis vestra manducatio in indignis sta-
tuatur, erit certè illis inutilis. Quid igitur
fiet illis Christi verbis, indefinite & genera-
liter sine vlla prorsus exceptione concep-
tis, *Qui edit carnem meam & bibit meum san-
guinem, habet vitam aeternam?**

*At enim Zuinglius (inquis pag. 18. & 19.)
carnis Christi essentialis nullum usum agnoscit
nisi in morte quam pro nobis passa est: ne si
quidem fide percipiatur: & illis verbis, Caro
mea verè est cibus, carnem accipi vult pro Chri-*

sti diuinitate. Ergone vir iste magnus fuerit etiam Marcionita, vel Eutychianus? Absit. Num etiã sensit peracta tot iam ante seculis passione Domini, humanitatem Christi nobis esse inutilem? Minimè. Quis enim se christianum professus, vsque adeò insanit? Res autem ita se habet. Vidit ille; posita orali vestra mādicatione ipsius essentialis carnis Christi, consequi necessariò, ex vestra opinione, ipsam essentiam Christi carnis, ipsi carnis nostræ essentiæ adiungi re ipsa, atque adeò fidelium, siue digne accedentium corporibus ipsis *συνάπτειν & συναρμόζειν*: nepe vt haud fecus quàm cibus quotidianus ore sumptus, & corporibus nostris assimilatus, vt Phyci loquuntur, vitam hãc naturalẽ ita in ipsis fouet licet ignoto quodam modo, ex Christi carne essentiali, ore itid intra fideles ingesta, & fidei veluti calore digesta vita æterna in credẽtes emanet. Hanc verò mostrosam *σαρκοφαγίαν* & portentosam *συναφω* quamuis omnipotentia Dei incogniti cuiusdam modi aspersione illitam ferre non potuit vir pius, tum quòd Christi incarnationi, ascentioni, & futuræ reuerfioni expressè repugnet: tum quòd hac ratione Ecclesia non spiritualiter, & mysticè, sed corpori

corporibus ipsis, & essentialiter in corpus ipsum reale Christi transfiret, & vicissim illud intra nos commearret: tum denique in primis, quòd inde vim illam æternæ vitæ effectricè, Christi carni subiectiuè inesse, & inde in nos effluere consequeretur. Quum igitur in summa duplex sit beneficium Christi veri Dei & Hominis in nos collatum: nempe Iustificatio per gratuitam nostrorum peccatorum remissionem, Iustitia illius nobis imputata: & nostra Regeneratio siue Sanctificatio, nos ad illam æternam beatitatem seu vitam æternam deducens: rectè Zuinglius asseruit priore quem citas loco, remissionem peccatorum, cuius etiam est tessera Cœna Domini, non manare ex ipsa carnis illius pro nobis traditæ substantia, sed ex ipsius obedientia & perpeffionibus in illa carne ad expianda peccata nostra toleratis: vnde sequitur vestram illam essentialè manducationem, etiam si per fidem fieret, vanam & inutilem futuram. Sic in altero beneficio, nostræ videlicet regenerationis quæ viuificationis nomine intelligitur illa Christi concionis, quæ illa sempiterna beatissimâque vita perficitur, orthodoxè itidem in altero quem citas loco, Zuinglius docuit illam

vim qua corruptio & fructus ipsius, & mors secunda sensim in his qui Christum siue in verbo, siue in Sacramentis apprehenderunt, abolentur. non ab ipsa Christi carnis substantia, vt cui subiectiuè insit, emanare, quod dogma fuerit merè Eutyichianum sed à verbo siue ab eiusdem Christi deitate proficisci: ac proinde sic quoque inutilem futuram illam essentialem & oralem carnis Christi manducationem, quam in Cœna inuehitis. Neque causa est cur sic diuidere personam Christi dicamur cum Nestorio. Nec enim separat naturas qui sicut eas & earum proprietates essentielles sua subiecta nõ egrediētes in ipsa vnione hypostatica conseruat: sic earum in mediatoris munere energias distinguit, diuinitate videlicet quæ diuinæ vnus sunt nature, humanitate quæ humana sunt, peragente, vt Leo Rom. Episcopus ad Flavianum Antiochenum scribens copiosissimè & profectò Christianissimè exponit. Est autem hæc viuificatio non minus Deitatis propria, quàm mundi creatio. Ergo, inquires, excluditur vt inutilis & vana ipsius carnis Christi perceptio: sanè oralis illa & realiter *συνήσθησεν* ipsius carnis cum nostra, & nostra vicissim cū illius carne vnitio, quæ
strum

monstrū portentosissimū gigneret : at non illa spiritualis κοινωνία, qua fit vt illa ipsa met caro nō orali sed fidei organo, tum in verbo sumpta tum in Sacramentis apprehensa, euadat vsque ad eò nostra, vt ea ipsa diuina virtus quæ passiones illius capitis reddit satisfactorias pro nostris peccatis, & illam sibi propriè ac hypostaticè vnitam carnem plenissimè sanctificarunt & viuificarūt: nos quoq; nō vlla essentię suæ realicū nostra admotione, sed spirituali plane & inenarrabili ενεργητικοτάτω mysterio secum copulans, ad vnicum sanctissimæ illius vniuersitatis corpus sub illo mystico capite constituendum, paulatim sanctificet, & tandem totos viuificet. Sic igitur intelligendum est quod ille de carnis Christi inutilitate disputat, non quasi simpliciter illa nihil nobis profit: quāuis hæc verba interpretans εσθβολικεῶς aliquoties loquatur, tūquòd in huiusmodi cōtrouersis, perdifficile sit modum tenere, tum quòd vicissim D. Lutherus hunc finem quam vehementissimè in contrariam partem trahens, substantialem illum esum supra modum vrgeret. Hanc autem fuisse Zuin-
glij sententiam non eam quæ ipsi à vobis af fingitur, vel ex eo colligere vos oportuit

quòd vix vnquam inuentus est quisquam tam prophanè loquutus, vt negarit necessariam esse nostram cum ipso Christo coalitionem : & quidem non solùm consensu, sed eius ipsius naturæ (humanæ videlicet) vinculo interueniente, quã idcirco assumpsit, vt cum ipso vinũ facti, in ipso viuere-
mus, & ipse in nobis : sed non nisi mystico intrinseco & spiritali nexu per fidẽ, non autem ore corporis & vlla substantiarum *συναφῆ*, vtpote quæ tam longè inter se distent, quàm quod supra cœlos omnes est, vbi caro Christi nunc est, & non alibi, à nobis abest, vbi nunc & non alibi corpore peregrinamur. Sed quid attinet coniecturas persequi? Ecce tibi repono illa ipsa quæ tu citas Zuinglij verba, quibus declarat quæ sit illa caro, & quis sit ille sanguis, ex quorum esu & potu petenda sit nobis vita æterna. *Non is qui humorem habet. inquit, nec ea quæ pondus, sed ea quã mente cognoscimus nobis esse salutis pignus, hac causa quòd sit in cruce pro nobis morte affecta.* Nam hæc certè, non nisi de vera illa Christi carne accipi possunt. Cur igitur illa, dices, de humore & pondere adiungit? non certè, vel vt duplex caro Christi affingatur, vel vt humanitas Marcionitica ipsi tribuatur : sed vt illa ve-
stra

stra realis in terris, in, sub, aut cum pane
præsentia corporibus nostris oblata & ex
consequenti vestra illa oralis, dignis & in-
dignis communis manducatio abrogetur,
non autem Sacramentalis. i. significatiua
& præbitura præsentia, qua vera illa caro,
licet in cœlis permanens, menti sistitur in
terris, nō ore corporis, sed spiritualiter per
fidem sumenda. Est enim huius fidei tanta
vis in apprehendendo, quanta est verbi &
signorum in promittendo: adeò quidem,
vt dicat Christum ipsum Chrysostronus:
sic etiam videri & tāgi Denique sic Augusti-
ni vestigia sequi de Sacramentali tū præ-
sentia, tū perceptione docere noluit Zu-
inglius, Christi quidem verum illud & vni-
cum corpus in Cœna verè esse, dari, accipi:
non tamen in signis inesse, sed mentis & fi-
dei cibum esse. Nosti enim illud Augustini
Non hoc corpus quòd videtur: nec ignoras,
veteres corpus illud ipsum Christi quod
est in cœlis, à corpore sacramentali, quod
est, datur, ac sumitur in terris, distinxisse: id
est illius vnici corporis Christi duplicem
respectum statuisse. Illas autem quorun-
dam ex nostris hyperbolas quæ, in primo
controuersiarum istarum feruore irrepse-
runt, quum diligenter omnia ad suū modū

renocauerim⁹, ecquis potest ignorare? Et si enim alicubi substantiæ vocabulum inter nostros vt transubstantiationi, vel circumsubstantiationi statuẽde obnoxium vitatur, alicubi verò non sine addita cautione vsurpatur: tamen hoc omnes agnoscimus & profitemur, animam nostram in Cœna Domini ritè administrata, non minus verè TOTVM CHRISTVM percipere, quàm corpus ore suo sumit signa externa panẽ & vinũ. Requiris etiã aliquid apertius? ecce tibi orthodoxi consensus verba ex eadem illa quam carpis præfatione. *Non solum beneficia & meritum Christi, sed hunc totum cum omnibus suis donis fide complectimur.* Infinitas autem illas Lutheri hyperbolas quĩnam moderaremini qui etiam immoderatissimas pro pugnatis?

Sed age, hucusque sim tecum euagatus dum vetera renouas, & te modò huc modò illuc excurrẽtem inuitus sanè persequor. Nunc autem propiùs ad rem accedamus. *Caput controuersie* (inquis pag. 22) *est verborum Christi desertio vel assertio, Falsum.* Quis enim vel per simulationem Christianus, tam est impudens vt quærendum putet, num asserendum sit quod Christus asseruit, negandum quod negauit? Sed vester
hic

hic mos est, Hofmanne, ad quem iam pridē occalluimus. Tantūm hoc à lectoribus peto, vt norint minimè à nobis controuerti, an sit Christi, id est Dei veri & Seruatoris nostri assertionibus credendum: sed vestrane an nostra verborum Cœnæ Domini interpretatio cum iis quę Christus asserta voluit consentiat, ac non potiùs iis ex diametro repugnet. Hic igitur pedem figamus.

Conuenit (inquis , pag.24.) inter me & Bezam, subiectum, & prædicatum in iis propositionibus sacramentalibus, de quibus agitur à tropis esse libera, Concedo, quatenus per se & in sese, in ipsa etiam enuntiatione, tum subiectum tum prædicatum spectantur, siue quid propria sua & natiua significatione declarēt. Nec enim dubium est quin demonstratiuo pronomine, verus panis & verum vinum: & per prædicata verum illud corpus traditum pro nobis, & verus ille sanguis pro nobis effusus declarentur. Sin verò coniunctim, & relatè, siue quatenus prædicata subiectis attribuuntur consideremus, non sunt certè à tropo libera: quia nō nisi figuratè, panis ille esse verum corpus ac esse ille panis, & vinum illud esse verus ille sanguis dici potest. Sunt igitur

ista sanè, ex mea sentētia à tropo liberam, quatenus in iis censeo tropi sedem non esse collocādam: at non, quod tropicè vnum alteri non attribuat.

Conuenit etiam (inquis eadem pag.) *prædicationes istas non esse proprias, sed improprias.* Conuenit quidem verbis, at non re. Nam tu proprias quidē illas esse vis, quod ad singulas voces attinet, ex quibus enuntiationes componūtur: Improprias autem & irregulares, quod ad sensum attinet, quo nihilominus τὸ ῥητὸν exactè seruetur. Ego verò improprias, id est, tropicas esse contendo, quòd copula non propriè nec regulariter, sed metonymicè, prædicatum cum subiecto connectat. Ludis ergo in impropriarū appellatione, de qua minimè inter nos conuenit. Tibi enim quædam enuntiationes sunt improprie, id est irregulares quæ tamen non sunt tropicæ, sed verbis proprie, & tamen inusitate: mihi verò sunt omnes enuntiationes verbis quidem vel proprie vel improprie, id est tropicæ: sensu verò, vel regulares, vel irregulares.

Ego sic concluderam. *Improprie sunt istæ sacramentales enuntiationes. Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, ergo tropicæ.* Negas hanc consequi rationem eò quòd
 censcam

censeam tropum, nec in subiecto, nec in prædicato esse collocandũ. & hanc consequutionem sic oppugnas.

Primùm quòd Bremenses homonymam ac proinde figuratam ex Damasceno desiniant, in qua subiectum, nomen quidem suscipit prædicati, sed non definitionē. unde sequitur prædicatum amittere suam definitionem siue prædicationem. Respondeo, ne sic quidem everti meam illam consequutionem: sed hoc tantùm effici, collocandum fuisse tropum, non in copula, sed in prædicato, vt haberi figurata iure possit. Quoties verò tibi iam antea respondi, non interesse quòd ad rem ipsam attinet, siue collocato tropo in prædicato, dicatur panis ille, esse sacramentum corporis illius traditi pro nobis: siue collocato tropo in copula, panis ille doceatur sacramentaliter esse corpus illud traditum pro nobis? Nullum igitur est inter Bremenses & me in re ipsa, sine in ipso institutionis Cœnæ sensu discrimen, neque hac diuersitate vel tantillum iuuaris. Cur autem in copula malim quàm in ipso prædicato metonymicæ sedem constitui, apparère dico ex eorum enuntiationũ collatione, in quibus prædicatum metaphoricè aut alio tropo vsurpatur: vt

exēpli gratia, quum dico Herodes est vulpes, Herodes est Helias, nullō modo, idest neque per se, neque coniunctim siue in attributo vulpes vel Helias propria significatione vsurpantur, & ideò figuratē dicitur, vulpes quidem pro eo qui versuto est ingenio, Helias autem pro eo qui feruente & mirifico zelo sit præditus. At in illa sacramentali enuntiatione, verus & propriè dictus panis dicitur esse verum & propriè dictum corpus, non tamen propriè vel vllō regulari essendi modo, sed eo metonymico peruulgato genere quo signum dicitur esse res significata.

Secundò, *quid est aliud* (inquis pag. 24. & 25.) *ἔσις, quàm affectio & habitudo prædicati ad subiectum? Ergo copula sola non potest sustinere tropum, & oportet prædicatum alia quàm propria significatione attribui subiecto.* Concedo vtrumque antecedens, immò etiam totū argumētū, si à sola per se copula intelligas metonymiam constitui, quod non dico: sed tum in propriis & regularibus, tum in figuratis & irregularibus enuntiationibus, in ipsa residere indicium vel propriæ & regularis, vel figuratæ & irregularis ἔσις: indicium in ipsa copula, vt pote, cuius hīc sit vsus vt ἔσις aut affirmatum

tam aut negatam sustineat, siue proprietatem seruet, siue minus subiectum & prædicatum.

Tertiò, inquis pag. 26. *Concessa inter enuntiationes vsitatas hæc est tropica, quam Beza fingit extra prædicatum, id est, quando prædicatum propriam significationem seruat) consequitur tò pntèy prædicatorum in omnibus tropicis prædicationibus retineri.* Respondeo de paribus quidem pariter iudicandũ. Sed pares, imò ne similes quidem esse dico inter se omnes vsitatas tropicas, quum aliquando tropus sit in subiecto, interdum in prædicato, interdum in subiecti propriè accepti cum proprio attributo comparatione figurata. Quinam igitur quod de vna specie dixi ad omnes accommodas?

Falsa est (inquis pa. 28.) Beza sententia, quòd omnis prædicatio sit aut regularis aut figurata. Datur enim tertium genus, nempe inusitatum, quo prædicationes neque sunt regulares, quũ in vis disparata de se inuicem prædicentur, quod regulariter fieri non potest, neque ad regulares reduci: & tamen, tropice explicari non possint, qualis est hæc enuntiation, Deus est homo. Ad hoc antea respondi & respõdeo, posse hanc enuntiationem tum vt propriam ac

regularem, explicari: in qua videlicet communis nature nomen, suo supposito attribuitur: veluti quum dico, Socrates est homo tum etiam per synecdoches tropum exponi: quò fit, vt pars essentialis de toto dicatur in concreto, vt quum dico, Verbum est caro, Dixi & illud: quum in illa enuntiatione, Deus & Homo, non sint duo supposita, quatenus sunt vna hypostasis, hac quoque ratione non posse hæc dico dici disparata, quamuis nature ipsæ in abstracto sint in sese disparatæ, ideòque de se mutuò non prædicentur. Tertiò addidi & illud, prædicationem istam, siue propria, siue tropica dicatur, vsque adeò inusitatam esse, vt sit etiam singularis, propter singularem eius rationem: quoniam videlicet nullum ἐπιστάμενον dari vsquam potest ex duabus perfectis naturis, quarum vna (assumpta videlicet) in altera, vt suo supposito subsistat: Hinc autem consequitur perperam abs te ad coniunctionem sacramentalem, quæ merè est *ἁέντη*, applicari quod ne omni quidem hypostaticè vnitioni competit: sed illi soli, qua filius Dei factus est homo: & quod singulare non esset, si in pluribus locum haberet. Postremò, dixi inusitatum appellari non posse dicèdi genus, quo nihil

hil fit in communi sermone vsitatus. sed de his, Deo fauente, suo loco plenius.

*Inutilis est (inquis, pag. 29.) omnis de tropis labor, nisi sensus pateat cui adaptatur: Ergo modus ille ἡετιμὸς, quo contendit Beza corpus Christi de pane illo benedicto predicari, debet respondere Sacramentali coniunctioni panis & corporis Christi: hic autem modus est prorsus incompertus. Illud prius concedo, Hofmāne, istud verò nego, Nec aliis mihi quàm vobis ipsis egeo testibus. Num enim inficiaberis, Lutherum disertis verbis scribere, *Christum*, id est Christi corpus (nec enim de ipsi⁹ Deitate istud intelligi potest) sic esse in pane, ut *Angeli & spiritus sunt in locis, id est definitiuè, & ita ut sese non metiatur eius loci sepatio, in quo est.* Hęc ille, inquam, totidem verbis, quem ego quidem non video, cur non deoscularerur Maricon reuiuiscens. Addo aliud ex eodem auctore ac etiam libro testimonium, totidem his verbis conceptum. *Quoniam Christus est eiusmodi homo, qui supernaturaliter cum Deo una persona sit, & extra eũ hominẽ, nullus sit Deus sequitur eum tertio modo supernaturali ubi- cunq; Deus sit, itidẽ esse posse, & esse: ita ut Christi etiã quatenus homo est, plenè sint omnia: & ubi potes dicere, hic est Deus, ibi quoque oportet**

teat dicere Christum hominem esse, illo diuino & supernaturali modo. Itaque si Lutero credimus ex quo vbiq̄uitarii suam illud portentum hauserunt, duplex erit coniunctionis corporis Christi cum pane modus, non ignotus sed aperte explicatus. vnus videlicet repletius, Christi humanitati cum Angelis & animabus nostris communis & ab institutionis Cœnæ Domini pendens, verè certè Marcioniticus: alter repletius, ipsius humanitati cū Deitate communis: ideòque merè Eutychanus, & vnionis hypostaticæ definitioni ex diametro repugnans: à qua tamen illum deriuat ita vt etiam ante institutionem Cœnæ Domini Christi caro, in, sub, vel cū pane re ipsa extiterit. Aliud autem est dicere hunc hominem etiam, Christum videlicet, vbiq̄ue esse, quod verè dicitur per ἰδιωματων κοινωνιαν ne diuidamus personam cū Nestorio, sed κατ' ἄλλο ne cū Eutyche te sentiamus: quàm dicere Christum etiam quatenus homo est, (id est etiam secundum humanitatē, vt apertè & ingenuè loquuntur vbiq̄uitarii) vbiq̄ue esse, quod merè est Eutychanum. Et tam ista duo inter se differunt, quàm ista verissima enuntiatio de Christo, homo est Deus, ab ista falsissima differt

differt, Humanitas est Deitas. Sed hæc fortasse dixeris Luthero excidisse in agone certaminis? nec enim arbitror fieri posse, vt hæc etiam tueri velis. Sed cuiusmodi est istud quod adhuc defenditis? *ἀλόγια* enim esse oportet inter Sacramentalis tum cum pane coniunctionis & præbitionis, tum etiam perceptionis modum. Itaque si oralis est modus perceptionis, vnus & idem ipsis signis, corpori ac sanguini communis: non video, quin statuendum sit, eâdem prorsus ratione panem cum corpore, qua corpus cum pane coniungi, eâdem & vna ratione panem & carnem ori præberi: eâdem denique ratione nempe oris & dentium instrumento, vtrumque comedi: corporali videlicet, id est, qua corpus corpori essentialiter admouetur: immò etiam verè naturali, quum oris actio in edendo & bibendo merè sit naturalis? quamuis visibilis quidem sit præsentia ac præbitio & perceptio panis, corporis autè & sanguinis à vobis haud secus quam à Pontificiis inuisibiliter adesse, præberi, ac percipi statuatur. Quòd autem quæris, quo scripturæ loco coniunctio Sacramentalis declaretur, respondeo, toties id testari Verbum Dei, quoties veteres ritus corporales signa vo-

cantur, qui quum minimè fuerint res inanes, sed tales, vt aliud in illis videretur, aliud intelligeretur, & aliud corpori, aliud mēti per fidem apprehendendum præberetur, rectè à nobis res corporales in sacramētis, vocari dico rerum diuinarum signa, & Sacramentalem coniunctionem rectè à nobis definiiri, primùm quidem significatione, quæ genus est in hac definitione: deinde præbitione rerum illarum diuinarum: quo vocabulo differentia inter nudè repræsentatiua signa, & nostra quæ vocamus Sacramenta statuitur: & quidem nouo fœderi ad finem vsque sæculorum in nobis sanciendo destinata, quibus postremis verbis, tum vetera Sacramenta à nostris, tū sacra ista à cōmunib⁹ discernim⁹. Respō. deo & illud: tanta omnium veterum & recentiorum, ne Luthero quidem infinitis in locis excepto, consensione Sacramenta vocari visibilia signa, inuisibilis gratiæ: in quibus aliud videatur, aliud intelligatur, aliud oculis, aliud menti repræsentetur: figuras Τύπες, σημεῖα, σύμβολα, ἀντίτυπα, vniuersaliter nuncupari, ac proinde ad relationis prædicamentum referri: siue substantiales sint res significatæ, siue qualitates, vt qui hoc neget (quod te facere aduersus Brementenses

menes video) non magis sis ad disputandum quàm qui principia inficietur, admittendus.

At enim (inquis pag. 30. & deinceps) Beza negat vnionis Sacramentalis rationem esse mysticã. vbi? pag. (inquis) responsionis 184. Inspiciatur locus. Nunquam hoc reperietur. Sed hoc inuenietur, distinguendam esse, vtpote multiplicem, vnitionem, vel potius coniunctionem Sacramentalem, quod etiam exposuimus plenius, eiusdem lib. pag. 136. & deinceps. Quatenus igitur res communes, putà aqua, panis & vinum, à naturali suo vsu, ad res alias mentibus nostris significandas transferuntur, hunc modum dixi & dico, clarum, perspicuum, & vsitatum esse, nempe significatiuum ex contrahentium pacto & voluntate: immò quòd hæc significatio minimè sit inanis, illud in cæremoniis etiam & ritibus humanis locum habet, vt pulchrè & expressè declarat Bernardus in sermone de Cœna Domini, desumptis: & tum ad Baptismum, tum ad Eucharistiæ communicationem applicatis ex communi vsu exemplis inuestiturarum, per anulum, per librum, per baculum, cuiusmodi formulæ multæ in rebus quoque forensibus

vsurpantur. Hæc si negas, nega etiam si
 libet solem in meridie lucere. Sed agè ista
 mittamus. Vos ipsi, qui Sacramentalem v-
 nionem definitis, reali corporis in pane &
 sanguinis in vino coexistentia, annon eam
 designatis istis vt planis, perspicuis, & in
 communi vsu familiaribus similitudini-
 bus, vini in cantharo, piperis in sacco, & a-
 lijs eiusmodi? Quid, quòd Lutherò, à natu-
 rali & locali modo corporum coniunctio-
 nis, ad illum definitium, præ contentio-
 nis feruore, assurgèti, dicere placuit eo mo-
 do esse corpus in pane, quo legio Diabolo-
 rum erat in dæmoniaco Matth. 8? Ergo (in-
 quies) mysticum, cœlestem, spiritualement,
 diuinum denique opus esse negas sacra-
 mentalem vnionem. Absit. At non ideò
 quia significatiuus est ac etiam præbitiuus,
 ex pacto: quæ omnia (sicuti dixi) communi-
 bus etiam humanis signis quadrant, sed
 quòd non humana sed diuina ordinatio-
 ne: quòd non res ad vsum huius vitæ spe-
 ctantes & caducas, sed sacras, & ipsis etiam
 Angelis adorandas (corpus videlicet, &
 sanguinem Domini nostri Iesu Christi ve-
 ri Dei & hominis, significant) ideòque à re-
 bus communibus ad res diuinas traductæ,
 non signa sed Sacramenta vocentur: quòd
 deni-

denique legitimo illorum vsu fides quotidie crescat & nostra illa verè incomprehensibilis cum Christo spiritualis concorporatio, quam propterea Paulus mysterium magnum vocat, in nostris animis ad vitam æternam, istorum interuētū lanciat. Quinam igitur nos mystica hæc esse signa, & mysticum illorū finem, cœlestem denique totam hanc actionē negaremus, qui mentem & fidem per signa de rebus merè cœlestibus commonesieri: res significatas menti fideli, non autem corporibus, repræsentari, & spiritualiter, ac ineffabiliter & efficacissimè, quamuis longissimè distitas, per fidem percipi docemus? ac non vos potius qui nuda esse signa censeatis, nisi re ipsa essentiæ in terris coexistât, & ore ac dentibus sumptæ, tum à dignis tum ab indignis percipiantur?

Exprobras etiam mihi pag. 34. & deinceps vsque ad 41. *Quòd in altera mea responsionis parte, tuis (scilicet) argumentis conuictus sententiam mutarim, ut qui antea dixerim metonymiam esse tropum λέξιως & in copula, quæ & ipsa λέξις est, à me collocari: postea verò negarim me agere de identicis prædicationibus, cuiusmodi est ista, Sceptrum est Regnū, neque de metonymia grammatica quæ in singu-*

laribus vocibus spectatur, sed de dialectica metonymia attributione. Respondeo primùm de identica prædicatione, eius mentionem à me idcirco fuisse factam, quòd explicationes metonymicarum enuntiationum cum ipsis metonymicis enuntiatis confunderes, idque perobscurè, id est tuo more, loquens, quum tamen hæc duo inter se magnopere differant. Exempli gratia, aliud significo, si metonymicè loquens dixerò, Hic panis est corpus, &c. quàm si hoc per metonymiam explicans dicam, Hic panis est Sacramentum corporis. Hæc enim posterior enuntiatio est identica, qua definitio nominis dicitur de definito: definitio (inquam) nominis seu vocis, prout, in illa metonymica enuntiatione accipiebatur, non autem simpliciter, vt quum dico, ensis est gladius. At illa prior enuntiationo minimè talis est: quia signum & res significata, etsi hæc de illo dicatur, manent tamen res duæ numero, re ipsa, & natua sua significatione, disparatæ, & sola relatione sacramentali coniunctæ. Hinc autem sequitur, quoniam tropus neque in subiecto neque in attributo à me collocatur, sed in copula, quæ & ipsa est λέξις, non negari à me metonymiam λέξεως. sed quoniam

niam

niam copula non est propriè pars integra-
 lis attributionis, sed illius tantùm index,
 Idcirco rectè quoque metonymiam hanc
 à me non constitui Grammaticè in voci-
 bus (nempe subiecti vel attributi, quæ sunt
κείμωρα principia enuntiatorum) sed in at-
 tributione, siue in ipsa affectione & habi-
 tudine. Secundum hanc enim (licèt neu-
 trius mutata propria significatione quum
 verus panis de vero corpore dicatur) præ-
 dicatum corpus de subiecto pane dicitur:
 quod si non semper nec vbique accuratè
 expressi, non tamè propterea dici possum
 tuis argumentis victus sententiam mutaf-
 se, quamuis quoties rectiora me docueris,
 vltro sim veritati cessurus. Quàm fortiter
 autem meam de metonymia potiùs in co-
 pula quàm in prædicato constituenda sen-
 tentiam oppugnaris, vel ex hoc argumen-
 to quiuis diiudicet. *Metonymia est* (inquis
 pag. 39.) *quum signatum pro signo, aut contrà,*
vsurpatur, non autem quum vnum de altero
dicitur. At mihi quidem contra vna & ea-
 dem res esse videtur signatum pro signo,
 aut contrà vsurpari, (quod si fiat, tum me-
 tonymia vel in subiecto statuitur, vt quum
 corpus Christi in Cœna Domini creari,
 consumi, in terram cadere dicitur) vel in

prædicato, vt plerique has enuntiationes explicât, de quibus agimus, & metonymicè vnū de altero dici, copula EST pro SACRAMENTALITER SIGNIFICAT explicata. Quamobrem has duas phrasas, VNVM DICI PRO ALTERO, & VNVM METONIMICE DICI DE ALTERO distinxit: ita videlicet vt ista non re sed ratione differant: sin minùs, velim hoc mihi demonstres, has duas sententias, quod ad rem ipsam attinet differre, HIC PANIS SACRAMENTALITER SIGNIFICAT CORPVS MEVM TRADITVM PRO VOBIS, & HIC PANIS EST SACRAMENTVM CORPORA MEI TRADITI PRO VOBIS.

Vnum adhuc ex Præfatione tua superest, in quo magnopere exultare te video. Quum enim argumento meo II. collegerim ex recordationis voce corpus Christi non posse præsens constitui, quòd memoria sit absentium in præsentium. Respondes *Craße à me permutari tempus cum loco, quòd res cuius memoria sanciat, possit ei loco esse præsens, in quo homo eius recordetur, imò & eo ipso tempore esse præsens, quo quispiam eius recordetur; ad ipsius videlicet conspe-*

ſpectum. Sed quorſum iſta? & quum hæc ſcriberes, an ſatis eras memor eius quod addit Paulus, nempe, Mortē Domini annunciabitis (hæc eſt autem Chriſti recordatio) *V S Q V E D V M V E N I A T ?* Num verò præſens eſt in terris corpus, quod de cœlis venturum adhuc expectamus? Et de præfatione quidem tua hætenus dictum eſt. Ulteriùs progredientem Deum mihi conceſſurum ſpero, vt is regat veritatis ſpiritus, qui me ab his horrendis maledictis aſſerat, quibus me, licet, Deo, totaque Eccleſia teſte, in qua triceſimum octauum annum ago, immerentem oneraſti. Et id quæſo, quàm iuſta, ex meis *αεγλεζομύβοις* arrepta occasione? Deploraui, *in hac triſtiſſima controuerſia rem eo deueniſſe, vt iniuriis potiùs quàm rationibus ſæpe ſit certatum.* Quid hac deploratione iuſtius? At tu, *quis te, inquis, in hoc genere ſuperauit?* Quæſi verò à vobis duntaxat ea in re peccatum fuiſſe dixerim: quod vt meliùs noris, compara, ſi libebit, alteram eorum quos nominas dialogorum editionem, & comperies nemini magis quàm mihi ipſi illa parerga, & quamuis nō ita, vt tu putas, temerè & *ἀπιθανῶς*, tamen extra cauſam dicta diſplicuiſſe, vtpote quæ penitus expunxerim. Et ſi

enim affinis ille tuus, cuius amarulentiam alij quoque permulti ex vestris adhuc experiuntur occasionem nobis prior præbuerat. Agnosco tamē illum minimè fuisse imitandū. Neque ego is sum, Hofmanne, per Dei gratiam, qui mea vel aliunde vel à me ipso detecta *σφάλματα* tueri quàm agnoscere & deprecari malim. Illa verò, quæ ut acerbius dicta, in altera quoque mearum quæstionum parte annotasti, partim non ad vestrum dogma, sed ad illud *βδέλυγμα* nunquã satis detestabile pertinere, facile lector non iniquus deprehendet: partim quum non sint in cuiusquam personam, sed in eam doctrinam scripta, quam ego quidem nulla prorsus Verbi diuini auctoritate niti, imò penitus illi repugnare arbitror; & ita quidem, ut Christianæ non modò synodo, sed etiam cum quouis *συζητήσῃ* mea hæc omnia vltro subiiciam: quam tibi vel cuiquam alij iustæ offensionis causam præbui? *Immò* (inquis pag. 7. & 8.) *hanc συζήτησιν offerens, vestratibus, bonè vir, voluisti palpum obtrudere, quos solos offendere uereris: quòd sis interdum singularis, & à communi sententia discedens, nostrates adeò non curans, ut offensiones & contentiones non necessarias reuoces.* Ego verò Hofmanne,

miser-

miserrimum esse me peccatorem, sed tamen pro meo modulo, & ex singulari Dei beneficio, pietatis & integritatis studiosum ausim me citra arrogantiam dicere, & aliquibus per Dei misericordiam in Ecclesiam Christianam hominis Christiani officiis ostendisse. Tu verò videris, quo iure & qua auctoritate, de mea conscientia statuas. Duo sunt enim ex quibus homines de hominum hypocrisi possunt aliquid statuere: oratio videlicet non aperta nec secū consentiens, qualis est eorū, qui si frigidū & calidū simul efflant, & quorū facta dictis repugnantia. In illa mea oratione palàm, apertè, ingenuè, *sum precatus ne quis eius libelli mei lectione offenderetur, & paratum esse me sum testatus de iis Christianè cum quibus conferre, & certiora & verbo Dei docentibus cedere.* Quid in hoc sermone non clarum & perspicuum? Aliud verò in animo quàm in ore habuisse me, vnde tandem probatis? An quòd tuis aduersum me scriptis non crediderim, quibus argumenta mea manifestè conuelli tibi persuasisti, mihi verò persuadere non potuisti?

Quasi verò qui cū Hofmāno non sentiat, nihil sentiat: aut qui Hofmanno, de promptis ex Dei verbo, vt ipse quidē non

dubitat, argumentis non assentitur, necessario sophistam agat: quasi Christianam συζήτησιν mecum institueris, ac non potius plura in me conuitia quàm argumenta cōtorseris: quasi denique non disputator, sed iudex ad hanc causam accesseris. Mense Maio extremo superiore, quamvis hac ætate, & affecta valetudine, & tempore admodum incomodo, Mompelgardum ex Illustrissimi & benignissimi Principis Comitissæ Wirtembergensis voluntate, euocatus, ad iuncto mihi collega, Antonio Fayo, & Abraamo Musculo, Bernensis Ecclesiæ pastore, septem dierum iter molestissimum eò usque confeci, ut de istis cōtrouersis cum iis conferrem, quibus nullos esse constat acriores nostræ, id est, Helueticæ confessionis aduersarios. Contuli tamen cum eis in Illustrissimi Principis conspectu & plurimorum tum Gallorum exulum nobilium, & aliorum indigenarum confessu: non sane vlla spe secutura cum illis consensionis, ut qui disertè testarentur se ne latum quidem vnguem à sua sententia discessuros: sed partim ne defugisse colloquutionem viderer, partim, (ita me bene Deus amet, quod ex animo loqui me, Hofmāne, Deus ille meus futurus almus itidem iudex no-

uit) eaque sincera voluntate, vt si quibus argumentis sua probarent, mea refellerēt, palam in illorum partes transiens veritati cederem. Cui enim ego viuo? & in cuius gratiā velim ego meipsum & alios in æternæ maledictionis præcipitiū dare? Roga ex illis, si uoles, non quidē verā an falsam sententiam defenderim (admodū enim iniquum esset eosdem habere aduersarios & Iudices,) sed an aliqua mihi uocula exciderit immoderata, & quæ simulatum animum præ se ferret. Mansimus ergo utrinque in pristina sententia, siue hæc mea est siue illorum iudicii imbecillitas, cui Dominus pro sua misericordia medebitur quū uolet. Quicquid enim scriptitatores nonnulli temerè & falsò garriant, syncerè utrinque actum esse puto. Sed agè, meas quasi singularitates expendamus, si prius hoc dixerō, vix posse melius, quàm ex hoc ipso cuiusmodi tua hæc sit acusatio deprehendi. Quid enim palpatores? Aiunt? aio: negant? nego. Hoc cine uero est singularem esse, & à communi sententia discedere? *Nouum est (inquis, pag. 7.) quòd abstractiuas loquutiones nullà fidei iactura cōcedi potuisse statuisti, si modo κατ' ἀλλο adiiciatur, ut hac adiuncta restrictione, Deitas quo-*

que crucifixa, vel mortua dici possit: quod
 ego non probo. Sed si hoc ex animo loque-
 ris, cur non vicissim eos damnas, qui hu-
 manitatem Christi (siue hominem Chri-
 stum, quatenus homo est,) eâdem
 profusuratione volunt non quidem subie-
 ctivè, (quomodo Kemniti⁹, rectè factus pro-
 prietas naturarum suarum subiecta non
 egredi, Lutheri sententiâ superiùs à me
 citatam emolliit) Deitatis tamen à qua as-
 sumpta est virtute & potentia ineffabili,
 simul sua essentia & in cœlis & in terris in-
 uisibiliter, & illocaliter in, sub vel, cum pa-
 ne adesse? Cur, inquã, hoc exẽplũ, omit-
 tis? Idem enim est vtrinq; fundamentũ: ea-
 dem vtrinque statuitur hypostaticæ vniti-
 onis definitio: Et, quum hîc non agatur de
 donis in ipsam Christi humanitatẽ subie-
 ctivè, siue, vt in scholis loquuntur, habitua-
 liter collatis, verè quidem dicitur, sed nihil
 ad rem facit quod obiici à nonnullis con-
 suevit, τὸν λόγον videlicet nihil ab assumpta
 humanitate, humanitatem verò tum subsi-
 stentiam, tum plenitudinem donorum spi-
 ritualium à λόγῳ accepisse. Cur, inquam,
 hoc exemplum superiori saltem non
 adiunxisti, à me eo ipso loco positum, quẽ
 hîc redarguis? Annon, vt hoc ipsum face-
 res

res quod mihi obiicis, id est, quòd vestra-
tes offendere verearis? alios quidem realē
naturarum communicationē, & si non in
verè abstractis, tamen in adiectiuis & de-
nominatiuis apertè asserentes, & vsque ad
vbiquitatem cum Luthero progressos: ali-
os verò tectius agentes, & eundem tamen
admittētes errorem: quum idem velint de
humanitate, siue humana natura, atque de
homine prædicari? Ad me verò quod atti-
net, res ita se habet. In prima mei illius
libelli editione, conciliandæ concordia
studio sum eò vsque progressus, vt abstra-
ctiuas loquutiones, modo illud *ut à Mo*
adiiceretur admitti posse putarem. Sed à
fratre eruditissimo, & verè secundum fra-
ternam charitatem mecum agente admo-
nitus, abstractis illis nominibus nunquam
designari naturas, nisi quales sunt in sese,
& subiectiuè: ac proinde non minùs falsò
& ridiculè, vel Deitati vllò modo tribui
posse humanitatis propria, vel humanitati
Deitatis proprietates, quàm dici Deitas,
esse humanitas, vel humanitas esse Deitas,
totum illum locum in altera editione meritò
expunxi: tantum abest, vt pertinax in er-
rore agnoscendo & deprecando fuerim,
qui tamè, si verborum vsus hoc pateretur,
& nisi istud aditum ad multa falsa pate fa-

ceret, Veritati nihil detraheret, vt nemò hic in me possit vllam in ipsa doctrina discrepantiam notare. Et vt melius etiam noris, quàm tu me meùmque ingenium parum noris, atque á deo quo candore soleã excipere doctorum fratrum monita, ecce tibi fratris nomen edo cui emendationem hanc debeo. Is est Ioannes Piscator, vir non vulgariter eruditus, & in schola illustrissimorum Principum Nassouiensium Herbornensi egregiam operam nauas, cui quantum de aliis etiam monitis debeam alibi gratus profitebor.

Alterà mea nouitas (inquis pag. 38.) *hac est, quòd contra Oecolapadium & Calvinum, cum Zuinglio predicatũ eximã à tropo, quod si fiat Pezelius euitari posse negat sacramentarium errorem.* En rursus quantopere vererer nostros, quos vocas, offendere. Nihil autẽ in re ipsa variari, siue prædicato siue in copula metonymiam statuas, quoties iam ostendi?

Tertiò sum tibi singularis *in doctrina de baptismo meram solummodo probabilitatẽ prætexens, & hac conscientia me accusantẽ consolans.* Hoc cine verò est, Hofmanne, bona fide agere? Doctrinã Baptismi pro meo modo explicauit questionibus septuaginta quatu-

quatuor, & in quatuor duntaxat ex tanto numero feci probabilitatis mentionem, quærens qua ratione infantes Christianorum baptisentur.

Quæstione igitur 123. *Dico formulam fæderis indefinitè his verbis conceptam, Ero Deus tuus & seminis tui, & charitatem, nos monere ut benè speremus in genere de iis omnibus qui ex fidelibus nascuntur: particularia verò occulta iudicia esse Deo relinquenda.*

Quæst. 124. *Dico fidelium liberos probabiliter censeri Deo gratos esse æterna in Christo electione, cuius illud satis idoneum testimonium est quòd eos voluerit ex piis parentibus nasci.* Idem repeto quæstione 127. nempe, *Meritò præsumi seruandos omnes ex piis parentibus oriundos, ut qui in fædere comprehensi videantur probabili vel imaginaria duntaxat coniectura.* Cedo, Hofmanne, quid in his potes meritò reprehendere? Num enim tu is es qui aliorum corda tam certò possis perspicere, ut certò & necessariò possis de singulorum fide & salute statuere?

Quæstione denique 128. quum antea dixissem quod de fide ad promissionum salutis adeptionem in singulis necessaria dicitur, videri mihi ad solos adultos pertinere: nec tamen propterea infantes ex sanctis

parentibus oriundos à salute excludi vel Baptismi fructus, etiam si ante auditum & fide apprehensum verbum ex hac vita excedant, expertes censendos, sed potius seruatos, & fructum Baptismi consequutos meritò, relictis Deo arcanis ipsius iudiciis præsumi: non ex opere operato, sed quòd eorum parentes non sibi tantùm, sed suis etiam nascituris posteris æternæ vitæ fœdus ex ipsius formula, Ero Deus tuus & seminis tui, apprehenderunt. Quum hæc, inquam, antea pluribus exposuissem, tandem hæc subiicio: *Hæc tamen sic à me dicta sunt, ut Ecclesiæ Christianæ iudicio submittantur. Nec enim ignoro posse etiam dici infantibus sic dari fidem δυνάμει, ut δυνάμει quoque non ἐνεργεία sunt anima rationali præditi. Quid tamen mihi probabilius videatur ostendi: neque sententiarum hac in re diuersitas fidem ipsam Christianam labefactat.* Hæc igitur mea sunt in quibus ecquid tandem est quòd meritò conscientiam meam accuset? an nouū est dogma in Ecclesia, docere quòd infantes in fidem parentum baptisentur? an hoc quicquam detrahit pædo baptismo vel baptifatorum infantium meritò præsumptæ salutis? Immò quæ vestra est hac in re constantia? alij siquidem tradunt, & quidem

dem quasi irrefragabili asseueratione infantes esse formata fide ignoto quodã modo præditos, producto Ioannis Baptistæ exemplo qui sit in ipso vtero donatus Christi agnitione. quo tamen argumento nihil satis firmi ne ex coniectura quidem concludi posse mihi profecto videtur. Alij verò fidem cunctis sine exceptione infantibus baptisatis conferri in ipso Baptismo docent. Et nisi ipsis assentiamur, nos quasi Baptismi gratiæ hostes execrantur. Atqui si hoc verum est, potior fuerit infantium quàm adultorum Baptismus, quum hypocritis adultis nimium multis sit inutilis ipsorum quidem non Dei culpa Baptismus. Nec stare poterit prior sententia, quòd fide sint in vtero præditi infantes: vnde consequetur illam in Baptismo non dari, sed antea datam sanciri & obsignari. Denique quum nemini quicquam præscribam, atque adeò Ecclesiæ iudicia mea (si hæc mea sunt) subiiciam, quam hîc in me vel adulationis vel arrogantiæ speciem inuenies? quo iure traditam à me Baptismi doctrinam, vt sola probabilitate fultum infamare potuisti? quàm iustè quod de certa quæstione dixi ad vniuersam doctrinam trahis?

Dolet tibi pag. 9. quòd tantum tribuam

d. j.

eius voluminis auctori, qui consensus orthodoxus appellatur, quem etiam publicè te refutaturum minaris. Ego verò tuo iudicio minimè deterritus, & veritatem doctrinæ illo libro fortissimè propugnatam amplector, & in hoc homine iudicij firmissimam soliditatem, lectionem penè infinitam, diligentiam summam non possum satis (Deo sit laus) admirari, & tibi cauendum etiam atque etiam censeo, ne si refutandum illum susceperis, dentem solido infregisse comperiaris. Age tamen quod voles. Si rectè quicquam hîc egeris, laudem etiam à me referes. Sed optimum virum Calvinum vocari quînam tandem ferre nō potes, Hofmanne? *Etenim si tibi talis est* (inquis pag. 14.) *qui fit quòd Bolseco vitam eius satis turpem & infamem describenti, & quidem te testem compellanti non respondeas, tu, inquam, discipulus quondã & postea collega, nunc verò successor Caluini? Quasi verò Bolseci impudentissimi monachi triplici in his regionibus exilio, vxoris apud Papiſtas canonicos prostitutione infamis: quadruplici apostasia notati: ad nobis malè dicendum à tenebrionibus quibusdam conducti: quem agyrtam hinc inde ab ipsis Pontificiis pulsum egestas tandem paulò*

parlò post istos vomitus, Anisij Sabaudiaë oppido, miserè enecauit, apertè falsas & tam impudenter confictas fabellas, quàm si Americæ regnum ambiuisse, vel Turcas aduersus Christianos armasse Calvinus diceretur, dignari me vlla refutatione oportuerit. Vixit vir ille in omnium oculis, docuit viginti sex annos in ciuitate & Ecclesia frequentissima, ita integrè & innocenter, vt omnibus charus, & insigne virtutis omnis exemplum habitus, nullum habuerit inimicum nisi vel apertè veritatis, quam docebat, hostem, vel ex diuitiis & flagitiis notum, quorum ille implacabilis hostis erat. Et illum arbitratus fuissèm ego, post honestissimè & purissimè exactam vitam, religiosissimè in Domino mortuum, vlla defensione aduersus illum perditum nebulonem indigere? Quòd si te vel quenquam alium iuuat istis maledicis credere potius, quàm iis quæ infinitorū penè hominum myriades & sol ipse redarguunt, frue re tu sanè tua credulitate. Ego non rumores incertos sequutus, non aliquo priuato amore abreptus, sed certa, cōperta, & testata omnia perseripsi. Sed quì fit vt hic mihi, quem idem Bolssecus, præcinente inter cæteros pseudepiscopo Santesio

idem Bolsecus tam horribilibus mendaciis commouere se posse sperauit; silentium idem non exprobras?

An quòd legisti quæ præcinenti Santeffio: quæ Gallis ad mihi maledicendum conductis infanis uatibus: quæ denique succincenti demum Rabbinissimo siue Rabidissimo Genebrardo perinuitus respondi? Ea si tibi non satisfecerunt, agedum nomen ede inter meos accusatores: sin verò (sicuti fortasse debuerunt) satisfecerunt, cur illorum omnem virulentiam superas, idque qua tandem occasione? ut omnes ad sese mutuò placidè & candidè tolerandos & erudiendos excitarem, dixi nouum non esse ut præstantissimi etiam viri quotidie discendo proficiant, prolatis primarum Ecclesiarum, ipsiusque adeò Petri, Pauli, Timothei exemplis.

Istis adieci ingenuam ipsius Lutheri confessionem, disertis verbis agnoscentis sese istis contentionibus abreptum, sæpe peccasse tribuendo personæ quæ sunt naturæ, & contrà, & magni illius Philippi *θευτέρας προνοίας*. At tu, Hofmanne, istis quidem subscribis in genere, sed ista specialia cur, obsecro, præteris? Nam hoc illud est de quo nunc agimus, & hic ille est scopulus apud quem

quem heretis. Quid enim aliud esse potest
 Humanæ naturæ Christi tribuere, quod
 siue pluribus (vt tu & vestri docetis) siue
 omnibus locis (vt docent vbiq̄itarij, v-
 trumque verò disertè in Lutheri scriptis
 extat) sua Essentia re ipsa adesse possit, quã
 quod vnus diuinæ naturæ tam proprium
 est οὐ σιωδῶς vt ne Angelicæ quidem natu-
 ræ tribui possit, ad humanam naturam a-
 pertè transferre? Et maximum hunc erro-
 rem scilicet excusare vel tegere potest O-
 mnipotentiæ diuinæ latibulum, & ignotus
 ille modus quem prætexere consueuistis.
 Δουτέρας autem illas Philippi *σπερνίδας* à
 te prætermittas quidem fuisse non miror,
 sed hoc miror autũ esse te pag. 115. Cinglia-
 norum appellationem tegere illius viri au-
 thoritate, & quædam etiam ex veteribus
 ac penè primis illius scriptis aduersum nos
 citare, à quibus illum postea hac tota con-
 trouersia meliùs perspecta discessisse non
 ignoras. Ad meas autem illas annotationes
 quod attinet, viuo & illarum editione pro-
 bante Caluino, editas, (quod exemplum
 protuli, vt quantum vir ille ab *ἀνταρρονησία*
 abfuerit omnes intelligerent) verum qui-
 dem illud est quod ais, me non paucis lo-
 cis ab illo in contextus versione & expli-

catione dissensisse, quod ille patientissimè tulit: sed quòd in vllis Christianæ doctrinæ capitibus ab illo dissenserim nūquam probabis. Quòd si me in istis fuisse potius hallucinatum quàm illum ostenderis, non est certè quidquā in quo mihi magis gratificari possis.

An verò propterea vel ego, vel alius quisquam, Calvinianus appellandus? Minimè profectò, sed Christianus, donec ostenderitis Calvinum à Christi verbo dissentiendo, Ecclesiam Christi scidisse: quod neque adhuc nobis ostendistis: Priuata enim vestra iudicia nihil moramur, nunquam neque vocati neque auditi, immò quos, communem legitimam & verè Christianam synodum tot iam annis flagitantes, ne vocandos quidem, nedum audiendos esse, vestrates dicunt & scribunt: accusatores iidē & iudices *αὐθαίρετοι*, quod neque humano neque diuino iure licet. Profer autem mihi, quæso, vel vnum ex præstantissimis etiam veteribus Græcis & Latinis Theologis, qui non aliquibus næuis, etiam in magni momēti rebus, non laborauit, & suos ita docuerit. An ab illis propterea sectarum nomina deduxeris, sicut Simonianos, Arianos, Manichæos & cætera

tera eiusmodi monstra, partim vt manifestissimæ falsitatis reos homines, partim in legitimis synodis rite auditos, & ex Dei verbo dānata dogmata pertinaciter tuentes, damnatos, à suis auctoribus cognominamus? Quòd si requiris præterea veteris Ecclesiæ exemplum aliquod, ex quo appareat manifestius quantopere ab istis factionum nominibus, etiam quum præbita occasio videretur, ipsi Apostoli abhorruerint: ecce tibi Phileti & Hymenæi dogma, quo vnū ex præcipuis Christianæ religionis capitibus, resurrectio videlicet à mortuis, tollebatur. Hoc admodum acriter refutauit Apostolus, qui tandem eos ipsos Satanæ tradidit, quum non paucos seduxissent. Philetianorum tamen vel Hymenæanorū cognomentum non legimus: & serò fuisse Nicolaitas nominatos ex eo coniiicimus quòd in Apocalypsi demum libro, vltimis Apostolorum temporibus scriptos, Paulo nec Cerinthianos nec Hebionitas nominante, sed *Τῆς ἐκ τοῦ μῆτις* illos & eorum discipulos appellante. Quòd si nec facilè, nec temerè, sed præeunte demum legitima cognitione, & non nili cogente necessitate vt Ecclesiis caueretur, Sectarij à suis auctoribus denominati sunt: quid iis fiet, aut

quid tandem prætexent qui Christianorum nomine non contenti, Lutheranos se se inscribunt, & hoc nomine vocari gaudent? Nam hos ego non minus, imò etiam magis reprehendendos putavi, quàm eos à quibus Zuingliani & Calviniani nuncupamur. At tu primus, quem quidem nouerim, inuentus es, Hofmanne, qui hoc probum & dedecus vt rectum quiddam tutari auderes. Ratione & iudicio, an verò potius tum nostri odio, tum præpostero in Lutherum studio, agedum ex tuis argumentis diiudicetur. *Si Deus, inquis, ab hominibus à quibus verè colitur cum laude sua appellationem accipit, unde tantus est Ecclesiæ Dei splendor, vt quum Ezechias suum Deum, Esaiæ Deum nuncupauit, Esai. 37. & Rex ille Deum Danielis appellauit, Daniel. 6. cur à probatis Dei seruis sine dedecore vocari non possit?*

Audi, Hofmanne, si viueret hodie Lutherus, ille quid tecum ageret, audiens sese abs te cum iis conferri, qui sunt propter peculiarem & penitus extraordinariam vocationem *αὐτόπιστον*, in doctrina *ἀγαμέμνονι*, & omni exceptione maiores? quorum deniq; dictis ac scriptis vlllo modo refragari, perinde fuit atque in ipsum Deum insurgere? quod nemini à tēporibus Apostolo-

stolorum cōtigit. Hi sunt enim qui domus Domini fundamenta iecerunt, quibus qui successerunt, & ad consummationem vsque seculi succedent, quantumcunque præstantes & eximij, tamen, te ipso quoque teste, sine exceptione audiendi non sunt: neque sunt tales vt in eorum verba iurare nos oporteat. Deinde propositam quæstionem permutas. Nec enim quæro an vt ex Abrahami, Isaaci, Iacobi, Mosis & aliorum Prophetarum & Apostolorum nominibus, sic etiam à Luthero, Philippo vel alio quopiam nostris temporibus, vel olim post Apostolos excitato diuinitus homine, fas sit Deum cognominari. Sed hoc quæritur an citra manifestam idololatricam, fas sit in Ecclesia sese pro Christianis ab vllis hominibus cognominare, quod quum vt rectè factum tueris, non modo careris omnis Christianæ vetustatis exemplo, sed etiam expresso Pauli verbo refelleris: qui Corinthios neque à se, neque à Cepha neque ab Apollo denominari iustinet: quoniam inquit, neque diuisus est Christus, neque illorum quisquam pro nobis crucifixus. Ecquis verò post illos extitit, cum ipsis conferendus?

Hortatus ego vt Pauli monitis obse-

quiti, pro eo quòd alij alios istiusmodi cognomentis mordemus & laceramus, nemo sibi indulgeat, sed firmi infirmos tolerant, *Nolim* (dixi) *utra pars sit infirma disceptari, quamvis Dei beneficio nullo concordia libro egeamus, quòd consentientes sint per omnia nostra confessiones.* Concedēs vobis propterea fidei robur, quoniam nos soletis ad puerilem catechismum relegare: quæro cur igitur cum infirmis & rudibus tam impatienter agatis. At ne hoc quidem ferre potes, nec aliter in me laxis habenis inueheris, quàm si ausus essem *hac collatione doctrinam diabolorum præferre Christi doctrina?* Hæc enim tua verba sunt pag. 19. Immò vide sis, Hofmanne, ne non sit in cælis rata hæc tua confidentia: ac ne potius (imprudēs tamē vt opinari malo) in illam horrendam execrationem incurras qua iis maledicit Propheta qui malum appellant bonum & tenebras lucem. Méne verò tam ineptum & rerū humanarū imperitum atque adeò insanum esse putas, vt contra omnium etiam seculorum exemplum, vel omnem consensionem probem, vel denique dissensionem reprehendam, vel discordiæ spiritum in ipsis etiam Ecclesiæ visceribus sapissimè grassari nesciam?

& quæ

& quæ sit denique humani iudicij, etiã absque improbitate, imbecillitas ignorem?

Itaque tota hac scriptionis molestia carere tibi facilè licuit. Quæ verò sit nostratum in scholis, tum in concionibus modestia, si non placet ex meo testimonio discere, quid ad me? Res tamen ita se habet, neque vlla, vt spero, intemperie à nobis vnquam obtinebitis vt malimus vestrorum cõcionatorum exemplum imitari. Quum autem hanc nostram confessionem non tantùm negare, sed etiam refutare, & quidem prolatis quadraginta quatuor & amplius locis constituèris, agè, nunc hoc agamus.

Ad primam repugnantiam.

Primùm igitur pagina 100. iubes à me conciliari cum eo quod dixi, confessiones nostras non egere cõcordiæ libro, id quod præfatus est Aspastes noster de suis in Confessionum harmoniam obseruationibus, *his nimirum singularum ambigua explicari, illustrari obscura, quæ porro inter se pugnare, in speciem videri possent, modestè conciliari, quæ denique in aliqua manent ad huc controuersia, (ea verò paucissima esse) candidè indicari.* Faciam quod iubes, Hofmanne,

tibi paucis respondeo : neque in ambiguis, neque in obscuris, neq; in iis quæ in speciem pugnare videri possint, vllam esse repugnantiam vt ex illis ipsis obseruationibus liquet: controuersias autẽ alicuius quidẽ momenti, quæ supersunt, & quas candidè iudicare, non autem, (vt nos parùm candidè criminari) deprauare studuimus, scito ad vestrarum partiũ confessiones referri. Ad id autem quod citas ex orthodoxo consensu, tunc respondebo quum mihi ostenderis vel minimam in eo apparere repugnantiam speciem. Num enim ista contradictoria sunt, Plurimas Ecclesias Polonicas, puhlerè inter se consentire in nostra confessione, & tamen alias esse in eadem Polonia diuersæ, nempe vestræ sententiæ, inter quos sunt etiam nonnulli ex Bohemis quos vocant fratribus, quibuscum tamen nostri pacem fraternam colant? Quorum exemplum quod nolitis imitari, an estis propterea illis religiosiores?

Ad. 2.

Secundo loco Danæum charissimum fratrem mihi opponis, qui Deum scripserim, vbique essentialiter esse, quum Danæus in Lombardum scribens. lib. Senten. i. cap. 14. dicat orationem illam vulgatam

DVE 3

DEVS EST VBIQVE, intelligendã esse de causali & ἐνεργητικῆν præsentia. Respondeo, Hofmanne, vel nimium oscitanter hunc Danæi locum te legisse, vel odium nostri tibi tenebras offudisse. Nec enim quærit aut explicat Danæus, nec ibi disputat quo sensu dicatur DEVS ESSE VBIQVE, sed illius quæstionis conqueritur Lombardum nullum vsum ostendisse, ex qua tamen bene demonstrata conuincantur tum Manichæi, tum Aristotelici, tum Platonici: omnes in eo errantes, quòd Essentialem Dei præsentiam in omnibus rebus ab ipsius ἐνεργία separent. Quod autem ait Marnixius cuius epistolã meis inserui, Calvinum hanc quæstionem refugisse, sic demum esse accipiendum vt curiosam & inutilem eius speculationem vitandam censuerit, nõ autem per se curiosam esse existimarit, vel ex eo constat quòd eius vera explicatio tum ad refellendum Manichæorum dogma à Seruetistis renouatum de Dei Essentia rebus omnibus permixta, tum ad hypostaticæ duarum in Christo naturarũ vnitionis intelligentiam prorsus requiritur. Danæum autem si opinaris vsque adeò ineptiuisset vt Deum sua Essentia vbique esse, id est Deum esse Deum negarit, & illum versicu-

lum damnarit, Enter, præſenter Deus eſt & vbiq̃ue potēter: magnā illi iniuriam facis, & partim eo ipſo etiam loco quem tu citas, partim annotatione quarta in primū caput eiuldem diſtinctionis 37. refelleris. Quod ad miſſionem autem Sp. Sancti at-
 tinet, non ſcripſit Danæus *Miſſionem Spiritus Sancti eſſe præſentiam ſingularem & diſtinctam ab vniuerſali*, quod tu illi fallò imputas, ſed *Mitti Sp. Sanctum, eſſe, ſentire atque habere eū efficacē nouo præſentia ac energia modo, ſiue peculiari quodā & extraordinario effecto*, vt copioſè declarat cēſura ad diſtinctionē 14. neq; id vllō modo repugnat Eſſentiali præſentię trib⁹ perſonis cōmuni.

Denique, Hofmāne, quorſum hoc ad impugnantiam confeſſionū ab Eccleſiis noſtris exhibitarum cōſenſionem, in quibus ne tenuiſſima, quidem eſt huius quaſtionis mentio? Falleris autem ſi quod dixi de confeſſione Turriana, in qua de ipſis Chriſtianæ fidei capitibus, non autem de ſingulis quibusuis quaſtionibus, neque de ſingulorū locorū interpretatione agitur, de ſingulorū in ſingulis cōſenſione dictū exiſtimas. Iſta verò qualiſcūq; ſit varietas, vel etiam in iſtiusmodi particularibus diſcrepātia iudicij, nec fidei integritati quicquam

quam detrahit, neque facit vt propterea
 ἐνοπικῶν libro indigeamus.

Ad 3.

Hic requiro vel iudicium tuum, vel candorem, vel vtrumque, præterquam quòd hoc rursus singulare est, in quo facilè quispiam etiam optimus falli potest, qui tamen in eandem fidei confessionem penitus consenserit. Scribens aduersus Selneccerum, vestri certè ordinis dedecus, dixi in hoc enuntiato, Homo ille Christus est omnipotens, viuificus, &c. non tamen in sese sed κατ' ἄλλο, id est quatenus in verbo subsistit, me hac phrasi, Homo ille in sese, personam Christi non nominasse, sed humanam eius naturam, & quidem in sese, id est in abstracto. Addidi postea disertè hæc totidem verba. *Sed agè errauerim, non in re, sed in verbis, cum veteribus nonnullis orthodoxis, quos nondum satis erudierant hæreticorum captiuncula. Hoc tamen scriptum volui, humanam naturam non in sese, sed κατ' ἄλλο esse Omnipotentem, Omnipresentem, & adorandam.*

Quid verò Zanchus noster quicum frustra committere melaboras? *Earum, inquit, enuntiationum proprius ac simplex modus est, in quibus quæ sunt vnius nature propria, ea*

de persona Christi prædicantur, nomine vel ab eadem natura denominato, ut hic Deus noster omnipotens est & ubique præsens, Item, Hic homo passus & mortuus est: vel personæ propriè expresso, ut Christus omnipotens est, & ubique præsens, &, Christus passus & mortuus est, quibus, inquis, exemplis denegari non potest illud in sese. Respondeo, Hofmanne, nunquam visam nedum lectam mihi fuisse Zanchi nostri disputationem: ex qua hanc thesim citas, sed tamen dico illam mihi ut verissimam probari, nec quicquam minus appositè in ea re dici abs te potuisse. Nam quod ad huius regulæ priorem partem attinet: illas videlicet enuntiationes, Hic Deus noster omnipotens est & ubiq; præsens, &, Hic homo passus est & mortu⁹, quibus & ista addi potest, ὁ λόγος est omnipotens & ubique præsens: eæ verè esse possunt etiam extra incarnationis œconomiam: & quum in iis prædicatum de subiecto secundum suam naturam dicatur, illam restrictionem IN SESE, non admiserint nisi superuacaneè. In alteris verò istis, Christus est omnipotens & ubique præsens, & Christus est passus & mortuus, cæsi prædicatum de toto quidem subiecto propter vnitatem personæ, ac non de toto subiecto

subiecto dicatur propter dimensas naturarum proprietates, addi potest in priore exemplo restrictio καὶ πνεῦμα, vt loquitur Paulus initio epistolæ ad Romanos: in posteriore verò κατὰ σάρκα, vel ἐν σαρκί, vt loquitur Petrus: at illud καὶ ἄλλο ridiculè adieceris, quū personæ in subiecto expressæ nihil extra ipsam attribui possit: illud autē sese frustra prorsus addideris, quū satis intelligatur prædicatum de persona non posse verè nisi in sese dici.

Ad 4.

Fateor sic à nonnullis describi ἰδιωμάτων communicationem, vt ipsam quoque naturarum in concreto vnionem comprehendat, qua dicitur Deus (nempe ὁ λόγος) esse homo, & homo dicitur esse Deus: nempe quoniam sicut naturæ vniantur, ita & proprietates cōmunicantur. Sed illud certè ab hoc distinguendū est, quod & ipsa ἰδιωμάτων appellatio declarat. Neque tamen propterea vel à D. Philippo, vel à quoquam alio orthodoxo in doctrina de ipsa hypostatica Vnione, & eius effectis vel tantillum dissentio, immò ne ab Hesiandro quidem si tibi cognoscere libebit, quæ hac de re scripta sunt cap. Orthodoxi Consen-

lus 7. quæstione 2. pag. secundæ editio-
nis 297.

Ad 5.

Affirmas. (inquis pag. 104.) *in præfatione in librum Hesliandri, constitui posse unum ὁρισάμενον ex sola παρὰσάσει Nestorij si perpetua & indissolubilis ponatur, quod falsò vestrates imputant Brentio qui tamen hoc non dicit sed ex Petro Martyre colligit.* Immo, Hofmanne, nūquam Brentiū à Nestorianismo excusaris, vnionem Verbi cum nostra carne non alio discrimine definientem, quàm proprietatum effusione in hanc carnem immensa, in Petrum verè & alios dimēsa: cui errori postea σοφὸν φάρμακον quale potuit adhibuit Kemnitius ab illa effusione merè Eutychiana ad vnicam ἐνέργειαν delapsus, quæ fundamentum fuit erroris Monothelitarum & Monophysitarum. Cæterùm in eo quod tu mihi attribuis, id ipsum agis in quo nos dicis aduersus Brentium peccare. Nec enim illud ex meo sensu dico, sed ex Iacobi Andreæ sententia colligo, Deitatem Christi ex eo definientis, quòd omnia cum illa Humanitate, & per illam Humanitatē agat. Quum enim agat etiam plurima Deus cum sanctis, &
per

per sanctos homines sua *παρὰσάσει*: Agere autem omnia & Agere tantum aliqua per aliquem, & cum aliquo, in genere *ἁρσάσεως* cōueniant, nec aliter differant quàm secundum plus vel minùs: posita Andreae sententia, consequetur non aliter vnitum Deum, id est τὸν λόγον cum carne Christi quàm cum sanctis, etiam si non omnia per carnem illam ageret: nec aliam fore differentiam inter Dei cum illa carne & cum sanctorum carne vnionem, quàm si illa statuatur perpetua & indissolubilis, quum hæc sit temporaria & dissolubilis. Rursum igitur vides, Hofmanne, quò te abducatur nostri reprehendendi studium.

Ad 6.

In hac sexta repugnantia libenter me commiseris cum Amelungo & Danæo, & nos rursus per nos ipsos ut dissidentia tradentes coargueris. Vtrumque certè frustra. Beza (inquis, pag. 104.) *quædã attributa Dei, quæ sunt ipsa essentia Dei, dicit à rebus creatis participari. Amelungus autem diuinam Essentiam dicit esse ἀμείριστον, ac proinde aut omnia, aut nulla ἰδιώματα Realiter secundum se carni assumpta communicari. Respondeo nullam esse in his repugnantiam. Nec*

enim, sicut iam pridem aduersus Brentium disputau, quum dicerem quædam attributa Dei communicari ab aliis merè essentialibus & incommunicabilibus diuersa, significare volui ista in Deo re differre, sed tantùm ratione: idque citra vllam compositionem aut multiplicationem. Diuersitas autem ista (siue ratio secundum quam differunt) non est in Deo, sed in mentis nostræ conceptu: quæ ex diuersis nominibus multiplicat & facit diuersa quæ in Deo vnum & idem sunt. Ex illis autem alia considerat mens nostra, quæ nullum habent ad res creatas respectum, cuiusmodi sunt Æternitas, Simplicitas, Immensitas & cetera eiusmodi, quib⁹ natura Dei simpliciter & absolutè qualis sit declaratur: & hæc sunt quæ propterea *οὐσιασθη* & *ἀνοινώνθη* vocantur. Alia verò à nobis animo sic concipiuntur vt habeant etiam respectum ad res creatas, quæ & Esse dicuntur, & bonæ, iustæ, sapientes, potentes & cetera id genus. Et hæc quidem sunt quæ dixi communicari, non tamen Essentialiter; neque secundum eundem modum, neque vt vna res. Nam omnia illa sunt in Deo, ipsa Dei essentia, siue ipse Deus: & summa, & simplicissimè vnum: in nobis autem sunt qualitates

tates creatæ, & multiplices numero, & ab illa perfectione in qua mens nostra illas in Deo considerat, longè latèque distantes. Inde illud Christi, Nemo bonus nisi vnus Deus, quum tamen Deus omnia crearet bona: Et solus Deus lehoua dicitur, quum tamè sint per illum omnia. Numverò istis, idest veritati repugnant ista Danxi, *Quicquid est propriè οὐσιῶδες, est prorsus ἀκωμόνητον, & Deitas aut illius essentialè ἰδιώματι nulli rei creatæ est communicabile?* Amelungus autem, quum (vt quidem mihi persuadeo, cuius alioqui librum testor mihi ne visum quidem esse) aduersum eos differeret qui hypostaticam vnionem, (quæ & ipsa dicitur à patribus *κοινωνία*, nimirum ex Apostoli loco Hebr. 2. 14.) definiunt reali omnium Deitatis proprietatum in ipsam carnem effusione, qui tamen postea coguntur aliquas excipere: meritò aduersum eos conclusit, nullum esse huic exceptioni locū. Etenim necessariò Deitas id est, ὁ λόγος sese carni vnies, sua quoque omnia ipsius ἰδιώματα sine exceptione vniuit, quòd Deitas sit ἀμέριστος, adeò, vt quæcunque τῷ λόγῳ attribuuntur, eadem Homini illi, qua ratione Deus ἀμέριστος sese illi hypostaticè vniuit, verè & re ipsa attribuuntur: at non

Humanitati quantumuis assumptæ, quia Homo quidem ille euasit Deus quum assumeretur vt subsisteret in λόγῳ: Humanitas tamen quamuis in λόγῳ non in sese subsistentiam nacta, non euasit tamen Deitas: quam distinctionem ab vnionis hypostaticæ Christi definitione desumptã, qui non obseruant, necessariò sunt Eutychniani. Talis est illa ex Luthero desumpta enuntiatio vbiquitaria, *Christum esse ubique non modò secundum Diuinitatem, sed etiam secundum Humanitatem.* Contrà verò qui prius illud non obseruant, quo dicitur propter personę unitatē Homo ille esse Deus ac proinde quicquid est Deus, & vicissim ac vna eadēque ratione, ὁ λόγος esse Homo ille, & quicquid Homo ille est, & quicquid de Homine illo verè dicitur, in hæresim Nestorij corruit. Sic autem tibi ad alteram quoque repugantię speciem responsum est, in qua existimas ista Danæi, *Quod vnius nature proprium est alteri tribuitur: per vocabulum concretum personam notans: & hæc propositio, Deus est mortuus, de persona seu toto vnito est realis: & istud ex Admonit. Neustadiana, Personæ Christi, vtriusque nature nomina, proprietates & operationes omnes, realissimè communicari asserimus, ista, inquam,*
esse

esse ἀσύστατα, cum eo quod eodem loco & in eadem admonit. negatur & pernegatur, *naturis videlicet singulis in persona Christi realiter communicari Essentiales proprietates alterius naturæ.* Hæc enim duo, *Proprietates Essentiales alterutrius naturæ, Naturis singulis, in persona Christi* (id est sigillatim & distinctè etiam in ipsa vnione consideratis) *communicari, & vtriusque naturæ nomina, proprietates, & operationes omnes personæ Christi communicari:* hæc duo, inquam, tam inter se differunt quàm hæc, *Humanitas est Deitas, & Homo ille est Deus;* quorum illud est Eutychianum, istud verò Orthodoxum. Quæ verò ratio non patitur naturam de natura dici, eadē etiā vetat alterius naturæ proprietates Essentiales alteri communicari. Istud igitur in abstractis, (id est, de naturis singulis, etiam vnitis ac proinde per abstracta nomina significatis) rectè pernegatur vt merè Eutychianum, & ne verbaliter quidem verum: in concretis autem quia propter personæ vnitatem vnus & idem qui homo est, vnus & idē est Deus, & contrà, verissimè tum de naturis ipsis, (vt quum Homo dicitur esse Deus, & contrà) tum de proprietatibus, (vt si homi-

ni huic tribuas quæcunquē Ἰῶ λόγῳ attribuantur, & contrà) realiter & verissimè affirmantur per ἰδιωμάτων communicacionem. Nec aliter de operationibus ipsis etiam statuendum per κοινοποιίαν, quoniã vnus & idem Θεάνθρωπος agit quod agit, vltra commune quoque ὑπὸ τέλεισμα: quamuis nec Humanitas agat quæ sunt Deitatis, neque Deitas quæ sunt Humanitatis, vt rectissimè Leo primus ad Flavianum expressit. Et hæc quidem ita se habent, Hofmanne, quæ si rectè semel percipere & vestratibus persuadere in animum induxeris, non iam erit hæc inter nos disputatio continuanda, sed instituenda Christiana illa tantopere à piis omnibus expetita congratulatio: sicut olim, in hac eadem controuersia de hypostatica vnione, auctore Cyrillo, Christiana Ecclesia post miserimam distractionem rursus coaluit.

Ad 7.

Quod Selneccero respondens κοιωνίαν ἰδιωμάτων confundenti cum κοινοποιήσῃ in his enūtiationibus, Christus est Mediator, Seruator, &c. putas repugnare quòd Hominem illum ad eundem scribens dicam, Viuificum esse κατ' ἄλλο, id est, quatenus
est

est τὰ λόγῳ hypostaticè vnitus. Atqui hoc enuntiatum in quo prædicatum per ἀντίδοσιν de altera natura in concreto prædicatur, idem non est atque alterum illud cuius prædicatum attribuitur verè & propriè subiecto secundum vtramque naturam. Rectè etiam negat Hesiander, eo quem citas libro & loco, communicari posse vllò modo humanæ naturæ vim illam viuificatricem, vtpote vni & soli diuinæ naturæ propriam, quum humanitas non sit Deitas. Neque huic repugnat quod idem ait, carnem Christi dici viuificam per κοινωνίαν ἰδιωμάτων. Humana enim natura humanitatem declarat in abstracto: caro autè Christi, interdum abstractiuè accipitur pro humanitate, vt quum dicitur Christus esse Filius Davidis secundum carnem, & passus esse in carne: interdum verò concretè pro Homine, vt quum dicitur verbum esse factum caro: quo demum sensu caro illa siue Homo ille dicitur viuificare, id est vim diuinam insinuare κατ' ἄλλο, siue quatenus idē ille qui homo est, est etiā Deus vnitæ personæ: non autem in sese. At enim, dices, Danæus disertè aduersus Kemnit. negat carnem Christi dici viuificam per communicationem ἰδιωμάτων, nempe

per illam communicationem de qua ibi differitur, id est donorum, siue habitua-lem, vt scholastici vocant, quum Hessian-der de gratia vnionis loquatur, quæ funda-mentū est alterius siue figuratę *κοινωνίας ἰδιωματων*. Deinde cur, obsecro, vel sciens prudens, vel quòd nostra oscitanter legas, alteram illam enuntiationem præteris, ab vtraque illa superiore prorsus diuersam, qua caro Christi verè & orthodoxè dicitur secūdum se quoque viuifica? nempe & quatenus in ea Christus pœnas pertulit peccatis nostris debitas, & quatenus eius per fidem tum in verbo tum in Sacramen-tis apprehensæ interuentu, diuina Christi virtute viuificamur. Vides igitur, Hofman-ne, quàm diuersa sint quę tu vnum & idem esse opinatus es, ideòque modò à nobis ne-gari, modò à nobis affirmari, perperā falsò tibi persuasisti. Quæ verò subiicis partim ex Caluino meritò illos reprehendente, in c. Ioan. 6. qui animos à Christi carne abdu-cunt, quorsum huc apponas, & in quos abs te dicantur, ego quidem non video, quum neque personam diuidat, qui naturas di-stinguit, neque salutē in λόγῳ aliter quàm incarnato queramus. Denique quod aduer-sus Selneccerum scripsi crassissimę esse in-scitiæ

scitiæ, καὶ ἄλλο, interpretari, Aliunde, siue ex alio, verè dixi, neque præcedentibus vlllo modo répugnat : sed Vbiquitariorum realem non in persona, sed in naturis communicationem siue effusionem statuētium refellit, qui se pulchrè absolui posse opinantur, si humanitatem dixerint habere quidem in se diuinitatis proprietates, veluti Omnipotentiam Omnipræsentiam: verùm non à sese vt Deitas sed aliunde & ex dono : quod quidē nihil aliud est quàm duplicem Deitatem statuere, & alia portenta admodum ridiculè inuehere.

Ad 8.

Putas etiam me & Danæum eo illaqueare quòd hoc Christi dictum Matth. 28. Data est mihi omnis potestas, referamus ad gratiam habitualement, & tamē Eutychnianum esse dicamus, si quis dicat Christum etiam secundum humanam suam naturam esse omnipotentem. Quam obiectionem quum refutarem respondens Iacob. Andreæ Thesi 5. distinctione vocis Omnipotentia, quæ modò pro iure & potestate res omnes creatas infra Deum administrandi, modò pro infinita illa vi Deitati Essentialiter propria accipitur, putas me

proprio gladio iugulari quòd in illa ipsa re-
 furatione mox subiiciam, *Tam illos insanire qui duas Omnipotentias, quàm qui duas Deitates statuunt, siue utramque illarum essentiale quippiam esse volunt, siue vnam substantialem alteram creatam comminiscuntur, cuiusmodi (videlicet posteriorem, idest creatam) Humanitati Christi datam paulò ante agnouerim. Sed non ita est, Hofmanne, vt tu putas: neque tam citò me ipsius fuerim oblitus. Itaque duas Omnipotentias utrobique pares & æquales, id est summas & infinitas intelligere te oportuit, quamuis altera esset essentialis & æterna, altera verò creata. Nam huiusmodi hâc in carnè Christi effusam esse volût Vbiquitarij, apertè scribètes, humanitatem Christi per effusas in ipsam Diuinitatis proprietates Deitati exæquari, non quidem οὐσία, sed ἐξουσία. Sic autem accipienda mea verba fuisse vel ex eo colligere debuisti quòd alioqui duæ Omnipotentia inæquales, (vna videlicet infinita & increata, altera verò creata & finita) duas Deitates non constituerent, nisi ὁμωνύμως.*

Ad 9.

Quod in epistola ad Illust. Electorem Saxoniae scripsi, Christi assumptam carnem

nem, quatenus hypostaticè vnita est cum natura assumente, tam vbique esse *κατὰ ἄλλο*, quàm naturam ipsam assumentem, possem quidem excusare; propter additam illam restrictionē: sed ingenuè fateor impropriè me vsum esse abstracto pro concreto, quod etiam antea dixi de illo *Quest.* mearum loco à me in posteriore editione emendato.

Ad 10.

Tu ipse fateris meritò locutiones istas à me damnari, Deus est mortuus secundum Deitatem: Filius hominis est æternus secundum humanitatem. Quid autem hisce verbis tibi velis, *siquid Christo secundum humanitatem tribuatur, licet idem in abstracto effari, sicut non licet ubi distinctina negationem habet*, etsi diu multùmque me torisi vt intelligerem, nunquam tamen assequi potui: siue quòd meus hic sit stupor, siue quòd ita sæpe scribas, quasi intelligi nolis. Illas denique Zanchi theses sanctè restor me nec vidisse vnquam, nec quum hæc scriberē nancisci potuisse: sed hoc scio tam benè inter eruditissimū illum virum & me per omnia cōuenire in fidei negotio, quàm inter sinceros fratres decet.

Ad. II.

Beza, inquis, pag. 110. scribit naturæ humanæ esse exaltari non diuinæ, contra Amelungus dicit, exaltari totius esse personæ, nec ad alteram tantum sequestrandum naturam. Respondeo utrumque hoc verè dici, sed diuerso respectu & diuersa quoque notatione. Exaltatur enim propriè & in se se non diuinitas quæ nec attolli nec deprimi potest, sed humanitas quam oportuit eò usque deprimi ut fieret etiam pro nobis κατὰ ἔρα antequam ingrederetur in gloriam illam cuius ad huc complementum in suis membris Christus expectat. Diuinitas verò, sicut non in sese nec absolutè, sed quatenus facta est caro sese exinanuisse ab Apostolo scribitur, Philip. 2. sic etiã in eadem glorificata carne meritò dicitur exaltata Ephe. 4. cuiusmodi etiã phrasibus Filius descēdisse & ascēdisse, venisse, missus fuisse à patre & reuersus ad patrē passim dicitur, non per simplicē ἀνθροποπαράστασιν, sed propter incarnationē & mediatoris in carne functionem. Præterea sicut ea, quam modò dixi, ratione distinctè secundum utramque naturam Christo conuenit Depressio & Exaltatio; sic propter Personæ vnitatem

ὅλως de toto Christo vtrumque illud dicitur. Quænam autem in istis repugnantia?

Ad 12.

Quòd Danæus *πειχώρησιν* restringit ad *ἀντίδοσιν* in hypostaticæ vnionis argumēto, cui tamen *ἀντιδόσι* nullus est in abstractis locus: ego verò aduersus Pappū aliquā *πειχώρησιν* statuo quæ ad abstracta quoque pertineat, Kemnitium non liberat à Danæi accusatione, quum agat Kemnitius de proprietatibus essentialibus, quas rectè quidem dicit sua subiecta non egredi, contra Brentianam illam effusionem, sed vult tamen *πειχωρῆν* quod ad operationem attinet. Ego verò non de gratia vnionis, sed de donis in ipsam carnē à Deitate re ipsa effusis, siue de gratia habituali sum locutus, in quibus quum reciprocatio locum non habeat, sequitur esse quidem, sed impropriè sic dictam *πειχώρησιν*, quam propterea Danæus neglexit. Sed in genere scito *πειχώρησιν* esse *πολύσημον* & longè copiosiore tractationem requirere.

Ad 13, & 15.

De voce *ἐξουσίας* prima nobis contentio fuit cum aduersariis communibus, qui suū

αὐτεξούσιον inde confirmare studuerunt, quasi Deo naturam nostram per peccatū non mortuam quòd ad rectè volendum & faciendum, sed duntaxat læsam corroborante: quali etiam gratia Dei in electis sit quid p̄ *ενδεχόμενον* in vtramvis partem merè cōstitutū. Hinc præbita occasio quæ rendide huius vocis in Ioh. 1.12. vera explicatione. Alteram occasionem præbuit hæc controuersia de essentiali & reali Carnis præsentia in Cœna Domini, siue cum pane Consubstantiatæ, siue absque pane, nempe vel annihilato vel transubstantiato. Quum enim hoc dogma vltro sese proderet esse *ἀσίματος*, necessariò fuit eius affirmationi prætexenda Dei omnipotentia. Probabiliter id quidem in speciẽ, vt cuidam non ita pridem in publica disputatione respondi, si de humana ratiocinatione ageretur cui verbum Domini repugnaret: sed admodum *ἀτόπως*, quū hoc dogma arguatur ipsi analogiæ fidei verbo diuino testatæ ex diametro repugnare, Dei verò omnipotentia seipsam non oppugnet. Hic verò alij, vt Pontificij, & vestrates ianiores, Omnipotentia Dei modum inscrutabilem dicere contenti, monēt non esse vlteriùs progrediendum, opposites illud

illud pessimè detortum SOLA FIDES SVFFICIT, quasi fidei obiectum esse possit quicquid somniatur, modò aliquod Dei verbum prætexatur. Alij ad hypostaticam Vnionem refugiunt, quam initio quidem ab effectis definierunt, reali omnium Deitatis proprietatum, ac præsertim Omnipotentia in carnem ipsam effusione, ex qua postea realem carnis Omnipræsentiam deriuant: postea verò vna communi operatione, quamuis proprietatibus sua subiecta non egredientibus, commento certè magis etiã absurdo, declararunt: omnes illo Matthæi loco abutentes. Ego verò apud Iohan. quidem ἐξουσίαν verti Dignitatem, illam videlicet adoptionis ἀξίωσιν ex Apost. 2. Thessal. 1. 5. & 11. Apud Matth. verò sic declarari dixi ius siue potestatem, siue imperium in omnium rerum creaturarum administratione, Christi carni, peracto ipsius ministerio, datam, quæ κείρωσ; quoque nomine ex vsu Hebræorum dicitur Ioan. 5. non autem illam infinitam & essentialẽ, Deitatis subiectum nunquam egredientem Omnipotentiam. *Sed* (inquis pag. 112) *Heslander & Zanchus istud de illa ipsa potentia τοῦ λόγου accipiunt, quæ dicatur illi data, id est reddita postquam resurrexit à*

mortuis, quam ante incarnationem habuerat, & quæ ceu in Patris sinum deposita, per incarnationem sese exuerat, quam expositionem aduersus Selneccerum repudiem. Quasi verò liberum non sit diuersis modis vnum & eundem locum interpretari, citra vllam in ipsa Christiana fide dissensionem, modò explicationes quamuis sint diuersæ, vel etiam inter se repugnantes, orthodoxæ fidei non repugnent. Sunt autem hæ duæ eiusmodi, neutiquam à veritate & regula fidei aberrantes, siue de Deitate illum locum accipias vt **D A T A** positum sit pro **R E D D I T A**, & istud respondeat petitioni ipsius Christi Ioh. 17. 5. siue humanitati, à cuius regno excipitur is qui subiecit ei omnia I. Cor. 15. quod mihi quidem vt & Caluino in Matth. 28. & Iacobo Grynæo in Psal. 110. præstantissimis Theologis, magis probatur: siue denique ad vtramque naturam hoc referamus. Nulla verò istarum explicationum vel effusioni vel communi *ἁρεσυχία* fauet.

Ad 14.

In responsione ad Andream contendo potentiam quæ est à Verbo hypostaticè inhabitante in carnem assumptam collata,
mediam

mediam non posse statui inter Omnipotentiam Dei & Angelorum, quoniam illa sit substantialis, vel potius extra omnem *κατηγορίαν*, ista verò sit donum creatum: comparari verò soleant quæ ad idem genus referuntur. *Contrà verò, inquis, statuitur media hæc potentia disertis verbis in admonitione Neustadiana.* Atqui ne ista quidē inter se repugnant, si rectum oculum adferas. Verissimum enim est quod dixi considerans harum potentiarum naturam, quod aduersum illos faciendum fuit tum qui ipsas proprietates Deitatis docent in ipsam carnem Christi subiectiuè effusas, & exemplo Petri allato, gratiam Vnionis cum gratia habituali confundunt: tum qui Christi humanitatem, quamuis, nō subiectiuè, tamen illa ipsa Omnipotentia τοῦ λόγου contendunt esse re ipsa Omnipotentem, ac proinde realiter suaque essentia cum pane præsentem. Neustadienses verò has potentias non ex naturæ discrimine, quo non καὶ τὸ πᾶν λέον sed toto genere differunt, sed secundum quantitatem & mensuram, triplicem statuunt Potentiam, vniam Deitatis propriam, Essentialem & summam: alteram Christi vt mediatoris & in carne considerati: quæ potentia vt infra illam summam

subsidet auctore Apostolo 1. Corin. 15. 27.
ita supra res omnes creatas eminent quibus
tertius potentia gradus attribuitur.

Ad. 16.

Calvinus scribens in hæc verba Christi
Matt. 28. Data est mihi omnipotestas, &c.
*Meminerimus, inquit, quod Christus iure suo
semper apud Patrem habuit, hoc illi datum esse
in carne nostra, nempe imperium in omnes res
creatas, quod (inquit aduers. Sel nec. Beza ex
Caluino) tum demum se exeruit, quum depo-
sita infirmitate Christus resurrexit. Ergo, in-
quis, ex Cal. sententia, Humana natura Chri-
sti habuit quoque hanc potestatem ante resurre-
ctionem, quod etiam tempore exinanitionis
sue professus est Christus. Matth. 11. professus
omnia sibi esse tradita à Patre: & Beza alibi scri-
bit, carnem Christi per gratiam Vnionis, fa-
ctam esse Dei carnem, ut coram ea omne genu
flectatur. Agnosco hæc omnia. Sed cōtra, in-
quis, Zanchus lib. 2. de Attrib. Dei, Quatenus,
inquit, homo est Christus, post resurrectionem
primùm simpliciter data illi fuit hæc potestas,
quum eam ante non habuerit. Nam si quæ λό-
γος & Dei Filius in Dei forma existens, illam
ἐξουσίαν in manu patris deposuerat eo quo dixi-
mus modo, illā (simpliciter videlicet nec peni-
tuo*

tus exerens, sed quatenus ferebat Mediatoris ministerium) & ita se exinanierat in forma serui assumpta: non igitur eam cum assumpta natura humana communicauerat. Hæc quoque Zanchi verba ut pia & orthodoxa quidni probem? Neque hîc sanè vlla repugnantia est: sed in duobus hallucinatis. Primum, quòd ad gratiam habitualem, siue ad donum quod subiectiuè collatum est in assumptam serui formam, cum gratia Vnionis confundis, qua homo ille iam tum quum assumeretur factus est Deus, quamuis ipsa Deitas suam illam potentiam non nisi certis gradibus exeruerit. At Humanitas non prius imperium illud adeptæ est, quàm victrix, deposita infirmitate, resurgeret, & in gloriam Patris introiret, quod sessione ad dexteram patris intelligitur. Num tu verò hunc saltem Vbiquitarianorum errorem tueri velis, quo cum incarnatione sessionem ad dexteram Patris, eodem temporis momento connectunt? Deinde in eo quoque falleris, quòd Dei Patris decretum æternum de potestate in res omnes carni filij sui assumendæ suo tempore donanda, cum eius decreti executione, post diè demum infirmitatis ipsius præstita, confundis.

Ad 17.

Frustra Calvinum hoc loco studes secum committere. Nec enim hæc sunt repugnantia, Christo datum esse in carne sua quod iure suo semper apud patrem habuit: & , Christum dicentem, datam sibi omnem potestatem, non iactare potentiam, quam accepit ante conditum mundum, sed quam accepit, quum ordinatus fuit mundi iudex: & , Christum petentem Ioh. 17. glorificari ea gloria, quam habuit apud Patrem priusquam mundus fieret; nihil petere aduentitium: sed ut diuina maiestas, quam semper habuerat, nunc appareat in carne, quam assumpserat. Hæc, inquam, neque à veritate neque inter se dissentiunt. Quinã dices? Quoniã quod caro accipit à Verbo ipse Christus suæ carni largitur, ut qui non sit precario Deus, sed per se: vnde fit ut sit naturæ humanæ aduentitium, quod tamen est Verbi *ὄντο* Deus, utpote veri Dei, etsi non à se, quia Filius, tamen per se, quia vnicus est cum Patre Deus. Gloria verò carnis assumptæ sic à gloria verbi differt, ut lumen à luce.

Ad 18.

Amelungus in suis thesibus limitat terminis regni & pontificatus Messia omnem potestatem

tem in cælo & in terra datam Christo. Contrà verò Zanchus etsi Amelungo assentiens, illud Christi dictum ad utramque naturam referat, intelligit tamen Omnipotentiam Christo redditam secundum Deitatem: & negat ad regnum Christi sufficere potestatem humanitati datam. Respondeo, & verè testor mihi ne visas quidē vnquā esse istas Amelungi Theses, quem quòd alicubi grauare mei amicitia niteris, quasi nemo Bezæ sit amicus quin pietati bellū indixerit, malè facis, Hofmāne, & in veritatē peccas. Etsi enim hominem illum, quantum mihi ex vestris in illum scriptis animaduertere pro meo modulo licuit, vt pereruditum, & veritatis amantem, alioquin illustrissimo principi Anhalbino doctorum & piorum amantissimo tolerabilem minimè futurum, amo & obseruo: tamen priuatam cum eo amicitiam nunquam contraxi. Sed ad rem. Satis ille sese, sat scio, aduersum te tuebitur Hofmanne, si hoc illi tribuere velis, quòd regnum filij Davidis, (quod sempiternum fore Deus Pater tam expressè promisit, & Gabriel est Beatæ virginis testatus, & ipsum æternæ vitæ nomen nobis cum iplo vt capite nostro communis euincit,) somnauit Amelungus, vilo temporum spatio termi-

nari. Quis enim velleuissimè Christianus hoc dixerit? Immo ne Arianus quidem, vt qui principij dūtaxat terminum Filio Dei præfiniat. Sed hoc quidem sensisse, & quidem rectè ex 1. Cor. 15. Amelungum ex ultimo, desitutum vltimo illo non quidē Christi regnum, vt qui potius tunc verè totus, nempe in membris etiam suis omnibus & totis regnabit, sed eum, quo nunc regnat, regnandi modum. Quamuis enim à die sessionis suæ captiuos, quod ad ipsum attinet, iam tum duxerit hostes suos, tamen non nisi in medio inimicorum suorum adhuc dominatur, intercedens pro suis, & Spiritu sancto suo missis pastoribus, ac doctōribus, electos patris sui colligens, & aduersus Satanam, & peccatum confirmans, eadēque virtute rebelles omnes iustis suis iudiciis, prout nouit expedire, conterēs. Tunc verò, vltimo etiam hoste, morte nimirum, in suis quoque profligato, & inimicis suis cunctis in ignem æternum missis, triumphator æternū illud regnum, abolita priorē administrandi ratione, inibit. Ecquid verò aduersus ista Zāchus, quum ad priorem illum regnādi modū requiri scribit, vt sic ut Christus ille Rex est Deus & homo, sicut & vt Deus, & vt homo regnet?

Ad

Ad 19.

Beza omnem deiectionem, et humilitatē refero ad humanam Christi naturam. Amelungus autem ait totam personam, respectu officij, manere sub Diuinitate: & ut humiliatōnem, ita etiam exaltationem esse totius personae. Respondeo, quod ad me attinet, non alio me defensore egēre quā in tota illa epistola mea sexagesima, quā citas, in qua ex professo ante annos triginta, nomine Lausanensis Ecclesiae, à beatæ memoriæ viro Ioanne Ribitto, Theologiae tum illic professore, & à me pertractatū fuit hoc argumentum, cuius ignoratio tot controuersias tum parturiebat, quas tam cupidè postea exceptas nōnulli maximo Ecclesiae malo mox fouerunt, & adhuc fouent. Illud quidem certum est neque attolli neque deprimi in sese posse Deitatem, quæ tamen sicut tum propter hypostaticam cum abiectionissima natura nostra vnitionem, tum propter suspensam ad tēpus in illa assumpta carne summam illam suam ἐπέσταν, dicitur ab Apostolo sese exinaniuisse: ita etiam ex aduerso meritò dicitur exaltata, quum peracto Redēptionis nostræ ministerio, ipsa Deitas in assumpta carne planè refulgere cōepit, & hæc vicissim illius luce

collustrata supra ipsos etiam Angelos eminere. Itaque hoc duplici respectu Verbo quidem reddita fuit summa illa potentia qua sese quodammodo, quod ad *ἐπέκεινται* attinet, ad tempus abdicarat, non autem deminuta, nedum sublata: sed tantū quiescens: Humanitati verò victrici data est rerum omnium creatarum administratio. Nec aliter sentire de his rebus Amelungum facilè mihi persuaseris.

Ad 20. & 21.

Daneus aduersus Kemnitium negat Philip 2. genu flexione significari religiosum adorationis cultum. Calvinus contra in eum locū, certum est, inquit, adorationem illic notari quæ soli Deo peculiariter conuenit. Caluini hæc quoque verba sunt. Exoritur hîc questio, ad diuinitatēne an ad humanitatem Christi hoc pertineat, utrumuis enim non caret absurdo. Diuinitati enim nihil potuit dari nouum, Humanitati verò per se aut seorsim nequaquam competit tanta exaltatio, ut pro Deo adoretur. Respondeo de tota Christi persona hoc predicari, ut multa alia, quatenus Deus manifestatus in carne. Quid aliud verò docet Daneus quàm hoc ipsum? nempe non esse quidem diuidendū Christum

stum in adoratione, ac proinde Verbum & Hominem vnica adorari adoratione, quoniam Homo iste est Deus: sed distinguendas tamen esse naturas vt in Vnione, sic etiam in adoratione, ideóque Humanitatem Christi non esse huius adorationis obiectum, quum Humanitas non sit Deitas: nec tamen propterea excludi ab adoratione, quamuis non per se, neque in sese adoretur, sed quoniam & quatenus est Filij Dei caro: sicut qui Regē coronatū & purpuratum ciuilitate honorat, coronā & purpuram ab hoc honore nō excludit, quamuis ad eas illum honorem vt ad obiectum in sese vel per se non referat: qua similitudine non ignoras veteres patres hoc argumentum explicasse. Danæus igitur illo loco non negauit genu flexionis nomine, quod ad Christi personam attinet, religiosum cultum significari Christo debitum vt Deo manifestato in carne, sed meritò Kemnitium reprehendit affirmantem ex hac genu flexione Christum humanæ naturæ respectu hoc ius religiosæ adorationis accepisse. Hoc enim tam est falsum & absurdum, quàm si quis diceret cum Eutychemo, Christum esse Deum humanæ quoque nature respectu. Nunquàmne

verò, Hofmanne, inter Humanitatem & Hominem distinguetis, quum in Christo Humanitas ne Homo quidem sit, vt Scholastici rectè definiunt, vt pote quæ in se nõ subsistat, sitque vocabulum abstractum, quod in Christo cõsiderari vt Concretum nunquam potest? Cæterum, si hæc neque scitis neque dicere curatis, an propterea hæretici sumus; Ariani, Mahumetani, & quid non? Cæterum Cyrilli, tum Alexandrini tum Hierosolymitani, Nysseni, Amphilochoij, Apollinaris, Athanasij expressa de hac re testimonia, si licetbit ex meorum aduersus Brentium, tum ad Holderi conuitia responsione petes: vbi inuenies ista Cyrilli inter cætera, *Num vt hominem, (id est humanitatis respectu) adorabimus Immanuelem? Absit. Deliramentum enim hoc esset, & deceptio, ac error. In hoc enim nihil ab iis differremus, qui creaturã ultra factorẽ, & conditorem colunt. Item, vna a doratione colimus Immanuelem, sed secundum quod essentialiter Dei filius factus est hypostatica vnione caro.*

Ad 22.

Danaus, inquis, dicit carnem Christi non viuificare, vt causam vite aeternæ efficientem.

Sed

Sed cur omittis *Fontis*, & *κρυβείτης* nomina à Danæo ibid. nempe pag. 365. responsionis ipsius ad Kemnitium expressa? Cause enim efficientes multæ sunt, & coordinatæ, & subordinatæ. Verba autem Danæi abs te decurtata hæc sunt, *Viuificandi significatio duplex est. vnus enim Deus alius viuificat, vt κρυβείτης vite: quædam autem viuificat, vt instrumenta, quorum rursus non vnum genus est. Caro Christi viuificat, vt medium, non vt ipse fons, & causa vite æternæ efficiens. Est autem (inquam ego) dupliciter hæc caro viuificationis instrumentum minimè otiosum, neque παθητικόν duntaxat. Primùm quia ipsius viuicibus sanati, & sanguine expiati, & obedientia iustificati sumus. Deinde quoniam non nisi ipsius per fidem apprehensæ interuentu, vitalis illa vis Verbi sua membra viuificantis in nos deriuatur. Sed negat, inquis, Danæus carnem Christi esse vllam *κρυσπητικὴν* vel *σωτήριον* causam, eiusdem libri pag. 148. Nempe quod ad ipsam vim æternæ & spiritualis vitæ effectricem, non autem quod ad *σωάνηα* ad illius virtutis effectum instrumentaliter concurrentia, nempe ipsius carnis *παθήματα*, & eius tanquam canalis apprehensionem spiritualem per fidem, vt paulò antè dixi,*

& Danæus eo ipso loco plenissimè exponit. Rectè enim Cyrillus, *Decebat enim*, inquit, *nullam aliam rem, & creaturam viuificare posse (etiam si intelligatur caro Christi, secundum quod caro est) nisi solam diuinitatis naturam.* Rectè igitur negat Danæus Christum deposuisse vitam in carnem assumptam, id est, vt ipse disertè explicat, alibi quàm in sola Deitate quasi subiectiuè inesse viuificandi virtutem: at minimè negat carnem esse illius veluti canalem. Et quum illi putas aduersari illas Caluini phrasas *positam esse, & nobis proponi vitam in Christi carne*, nempe quatenus per illã fide spiritua liter apprehensam in nos traicitur, nodum in scirpo quæris. Num enim vita est in ipso verbo prædicato? num in sacramētis? num in pastoribus? num in ipsa fide? Dicitur enim hæc esse ex auditu verbi: & hoc verbum, vitæ verbum, & potentia Dei ad salutem: & Baptismus lauacrum regenerationis: & panis ille communicatio corporis Domini. Hanc autem esse Caluini sententiam ex omnibus ipsius scriptis liquet, & quidem speciatim ex illis duobus, quos ipsemet citas, locis, in Ioh. 6. vers. 51. quibus testatur, *Vitã quam nobis caro cõmunicat (in strumentaliter, & nimirũ eo, quod dixi, sensu)*
aliundè

aliunde prouenire, ex Deitate videlicet in qua sola residet, vt ex Cyrillo citauimus. Denique, Hofinanne, hoc dico, tam Eutyichianum esse dicere, vim aliquam æternæ vitæ effectricem ipsi carni inesse, sicut Deus in panem, & alios cibos vim aliquam huic fouendæ vitæ accommodatam indidit: quàm dicere, Christi humanitatem esse Deitatem, vel Christum esse Deum secundum ipsam quoque assumptam humanitatem.

Ad 23.

Reprehendis Danæi verba vt impia & blasphema, quibus non plus carni Christi tribuit ad miracula viuificationis & sanationis faciendæ. quàm caro Apostolorum contulit ad edita ad Apostolis miracula, aut Virga Moysi ad edenda miracula Moysi profuit, nempe vt nudum duntaxat instrumentum, quid demonstrabat oculis hominum, quid Deus illa λόγος efficeret. Respondeo hæc Danæi verba cãdidũ & nullis præiudiciis præuentum interpretem requirere. Quũ igitur sit duplex eorum instrumentorũ ratio quæ sic mouentur vt sese quoque moueant: inter quæ excellit Christi Humanitas, partim diuinitatis actionibus subseruientis, partim humanam ἐνέργειαν suam exerens ad præstandum commune totius personæ ἀποτέ-

λεσµα: meritò Danæus aduersus Kemnitium differens, qui naturarum operationes non distinguit sed confundit, distinctionem illam obseruauit: minimè tamen Humanitati Christi, tanquam merè passiuo & duntaxat moto instrumento, nullam actionem propriam tribuens: quod vt meliùs liqueat, repetam exempla à veteribus in hoc argumèto disertè explicata iã olim & ab aliis ante me, & à me aduersus Holderum & alios citata.

Miraculum in Lazaro & aliis à Christo editum, est ἀποτέλεσµα toti personæ tribuendū: sed ita, sicut rectè monet Cyrillus, vt neque Deitati attribuamus Humana, neque Humanitati Diuina, Etenim necessariò, sicut in hypostatica Vnione distinctæ manēt naturæ, sic etiã distinctę sunt & proprietates & operationes In his autem miraculis sic patres Orthodoxi aduersus Eutychem ab humanis diuina distingunt. Nyssenius aduersus Eunomiū, *Necq; humana natura*, inquit, *Lazarum viuificat, nec deflet iacentem impatibilis potentia, sed lachryma quidem est Hominis propria, Vita autē ea quæ verè Vita sunt. Non nutrit multa hominum millia humana mēdicinas. Non accurrit ad ficum omnipotens potestas.* Et Amphilochius Icomē-
sis

sis. *Deus sum & Homo, hæretice, Deus ut spõ-*
dent miracula, Homo ut testantur affectiones.
 Et Apolinaris. *Est hominis surgere à mortuis,*
Dei autem excitare, & Cyrillus, Proprium est
supremæ subsiãtiæ ut mortuos possit viuifica-
re, quod æqualiter Patri atque Filio inest. Et i-
dem rursus. Quæ diuino modo facta sunt à
Christo, non sunt humana & illi attribuenta,
sed naturæ ineffabili, & omnem mentem trans-
cendenti. Et Damascenus ex quo illa sua
Danæus penè adverbū descripsit, In Domi-
no nostro Iesu Christo, inquit, miraculorum
vis erat ipsius Deitatis actio, manuum autem in
miraculis edendis adhibitio: & velle, & dicere,
Volo, purgator, erat Humanitatis ipsius actio:
ipsius autem actionis effectum, Humane qui-
dem naturæ fuit, panum fractio, & quod lepro-
sus audiuit, volo: Diuina verò panum multi-
plicatio, & leprosi purgatio. Item. In Christo
Deitatis quidem ipsius actio est diuina & om-
nipotens: Humanitatis verò ea quæ naturæ no-
stræ conuenit: & effectum quidem humane na-
turæ est quòd puella manus prehensa fuerit &
attrahta: Diuina verò quòd puella sit in vitam
reuocata. Nam & istud est aliud, & illud quo-
que ab isto diuersum, quamuis vnus ab alio (id
est Deus ab homine) seiungi nequeat in a-
ctione Dei (id est quatenus agit persona quæ

Deus & homo est) Item. *Nec Humana natura Lazarum à mortuis excitauit, nec rursus diuina potentia lachrymatur. Nam lachryma quidem sunt quiddam Humanitatis proprium, vita verò, eius est qui est ipsa in sese subsistens vita.* Hæc igitur illi quibus quod opponis ex Damasceno, *quòd Caro Domini diuinis actionibus ditata sit propter purissimam ad verbum vnitionem,* non eò spectat vt actio diuina & humana permisceantur, sed vt duarum naturarum distinctæ actiones doceantur ad vnicum in eadem persona *ὑποτέλεμα* concurrere, quod in nullis aliis instrumentis, ne in Angelis quidem vel Prophetis & Apostolis locum habet. Nihil igitur non piè & orthodoxè hætenus Danaus. Quod autem Christi carnem cum Apostolis, & virga Mosis comparat, nequaquam sic accipiendum est quasi hæc inter se absolutè comparet. Quid enim esset absurdus, quum Apostoli meri homines fuerint, Christus autem homo Deus, & etiam quatenus homo ipsis Angelis antefendus: Et virga Mosis fuerit res in sese mortua: Immò ne confert quidem inter se actiones illarum rerum instrumentales. Cui enim dubium est quin & Christi vox illa imperatrix, Lazare veni foras, efficacius fuerit

rit instrumentum quàm Petri in nomine Domini, non suo, iubentis claudum illum ambulare: & pro excitatione Dorcadis Deum suppliciter rogantis? nedum vt non fuerit Christi vox longè aliud insignius instrumentum quàm virga merè *παθητικὸν* in manibus Moïsis organum, vel potius signum. Qua igitur in re ista inter se comparat Danæus? nempe in eo quod est inter illas vt instrumentales causas, quantumuis impares, commune: quòd videlicet eius virtutis miraculorum effectricis quæ solius Deitatis est, nihil sit ad eas transferendum.

Ad 24.

Locum illum Aet. 3. *ὃν δεῖ τὸν οὐρανὸν δεξασθαι* Calvinus propter ambiguam constructionem sic intelligi posse dicit, vt dicatur Christus vel Cælo capi siue contineri, vel Cælum accipere, & monet ne verbum dubiæ significationis vrgeamus. Ego verò in priore editione meæ versionis Noui Testamenti ex his duabus interpretationibus, priorem, nempe passiuam sum sequutus. Hòccine verò est à Caluino dissentire? In posteriore verò actiuè conuerti, *Quem oportet vt cæli capiant*, vt quorundam calumniis

occurrerem quantumuis vanis & ineptis, eadē tamen sempermanente sentētia.

Quis enim ex veteribus aut recentioribus præter vos vnos hāc phrasim, *Quem oportet cælum recipere*, sic est interpretatus, vt cælum regatur à parte posteriore, vt loquuntur Grammatici: ac non ita vt oportere cælum dicatur recipere Christum, id est, oportere vt cælum recipiat, siue contineat Christum ad alterum vsque aduentum: non autem, oportere Christum recipere cælū, id est, vt Christus recipiat cælum? Itaque neque à Caluino, neque à me ipso, in huius etiam ipsius loci versione vel sententie dissensi, quum Calvinum nemo sit, qui vel suspicari possit vnquam istam vestram Brentiam Omnipræsentiam, siue Omniaiēstatem probasse. Et quānam fuerim propter hanc versionem, non re, sed verbis diuersam, vt si possem, quorundam ineptissimorum hominum clamores compescerem, tergiuersator, vt sic me apellas: qui tamen ingenuè sum professus in eadē manere me sententia? Sed agè, ponamus vel mihi priorē interpretationem, vt non semel accidit, postea non placuisse: vel, me apertè à Caluino in ipsa huius loci versione, vt in aliis non paucis locis,

locis dissensisse: modò ista diuersitate, vel etiam, si vis, repugnantia, nihil in ipsa fidei nostræ substantia & confessione nouetur, cur ἐνωτιμας quopiã libro propterea Ecclesiæ nostræ indigeant?

Ad 25.

Calvinus Ephes. 1, 10. dixit ex eo quòd dextera Dei (id est, Deus ipse & eius imperium) cœlum & terram impleat, non rectè colligi Christum nō nisi in cœlo esse. Contrà Zanchus negat dexteram Christi ubique esse eo sensu, quo scripturæ docent Christum sedere ad dexteram Patris, sed in excelsis cœlis, supra quos ascendit quâ Homo. Sed & Beza scribit illius sessionis sedem esse in cœlis, non autem ubique designari. Respondeo Calvinum eo ipso loco scribere totidem verbis, esse verissimum, Christi Humanitatem esse in cœlo non in terra, & de eo tantum in huius loci expositione controuerti, an hac particula IN COELESTIBVS designetur sedes imperantis carnis Christi, an verò sublimitas illius regni. In hoc igitur variamus sententiis: quæ varietas ne tantillum quidem repugantiæ in nostras confessiones inuehit: sed ad vestri dogmatis, quantumuis inter Pontificios,

Vbiquitarios, & alios diuersis itineribus ad essentialem in terris præsentiam carnis Christi stabiliendam concurrentes, fluctuantis euerfionem conspirat. Particula verò INDE in Apostolico symbolo expressa (vt alia plurima Euangelistarum & orthodoxorum patrum testimonia prætermittam) & huius eiusdem phraseos in hac ad Ephesios Epistola ter præterea repetitæ explicatio, necessariò ad situm loci referenda, Zanchi & meam sententiam mihi quidem videtur vt potioem confirmare.

Ad 26.

Calvinus Epist. 143. D. Philippo inscripta ingenuè fatetur illū sibi videri nimium philosophicè de libero arbitrio disputare. Beza verò in priore Questionū parte D. Camerario dicata, (vt ab eius amicitia non nihil fauoris Errori suo sacramentario emendicaret) σωέπρεται, cuius errorem liber Concordiæ nostræ ex Ecclesiis nostris (inquis) sustulit, disertè hisce verbis probat. Quum prima gratia disponens non nisi ab intelligente & volente recipiatur, & homines natura sint in genere intelligentes & volentes: homo, non vt stipes, sed vt intelligentia, & voluntate præditus exhibitam gratiam recipit: & quatenus

quatenus quidem intelligit & vult est Deo conditori σωεργος, à quo naturales illas facultates accepit. Agnosco ista, Hofmanne. Sed qua tandem fide mecum agis, ista prætermittens, id est alterum huius orationis mēbrum? Quatenus autem bene intelligit & vult, id in solidum aduentitiæ illi gratiæ tribuendum, qua fit ut ad se præparandum, ad rectè intelligendum, volendum, & faciendum, accepta gratia sese præparet, rectè intelligat, velit, & faciat. Cur non etiam adiecisti quod eo ipso loco profiteor, hominē videlicet quod ad primæ gratiæ initium, qua videlicet immutatur merè παθητικῶς se habere, & sequentem hanc σωεργειαν esse gratiæ Dei donum, quoniam nec intelligentia nec voluntas rectè sese mouere potest, nisi non modò præueniente, sed etiam illam quidem illustrante, istam verò dirigente illius gratiæ, qui nos prior dilexit? Num autem animam ipsam, vel in sua essentia, vel in ipsis facultatibus, ac non potius in harum qualitatibus, corruptam cum Illyrico arbitraris? Quod ad D. Philippū autē attinet, visus est sanè non paucis non nihil ex humana philosophianon huic tantum argumento admiscuisse. Sed tantum virum vix quisquam mihi persuaserit, vel tantillum voluisse gratiæ detrudere, vel

de Originis peccato deminuere. Vestras autem aduersus Synergistas à vobis cognominatos concertationes, præeunte illo infelicis memorię Illyrico, inter vos agitatas, nõ sine dolore ex illa Vimariensi præsertim cognoui, in qua ingenuè fateor me Vvitembergē sib⁹ in ipsa doctriņę disputatione quã tuentur, assentiri. Quòd si hæc discordia inter vos planè & rectè est cõposita, est de quo vobiscum Deo gratias agamus.

Ad 27.

Aduersus Anomæos quos Satan in vestris Ecclesiis seuit, & aduersus Pontificios disputari necesse fuit, an operabona sint ad salutem necessaria. Quod autem inter vos, à quibus per Dei gratiam error ille vterque grauissimus iam pridem & animaduersus & explosus est, potuit de hac re, & quidem tantis odiis certari, communes aduersarios exhilarauit, pios autem & eruditos valde apud vos & apud nos offendit: cui malo vti nam vester ille *ένωτικός* libellus felicius remedium quàm aliis controuersis attulerit. Quòd autem meam hac de re sententiã in priore Quæst. mearum parte explicatam opinaris tũ Helueticæ posteriori, tum Belgicæ Confessioni, & Caluini Institut. repugnare,

gnare, & quidem ex diametro, vsque adeò miror tibi excidere potuisse, vt tibi potius istud ab aliquo negligenter nostra legente suggestum, quàm abs te profectū fuisse vel vlla refutatione indigere existimem, apud eos qui nostra cum illis compararint.

Ad 28.

In explicatione huius propositionis, Hoc est corpus meum, vnus in copula, alter in subiecto, tertius in predicato, alius etiã in omnibus vocibus tropicã vocibus sedẽ fixit. Esto. Propriã esse non posse hanc enuntiationẽ, id est ἡ γὰρ τὸ πρῶτον explicandã, ne ipsas quidẽ tenebras, id est Pontificios transsubstantiatores lateret, propterea coactos partim ad indiuiduum vagum, partim ad identicam propositionem, partim ad alias sophisticas penẽ innumeras Chimæras cõfugere. Vos autẽ quid? Hoc est, id est, In, sub, vel cum pane est, sicut quum Piper est in sacco, & Vinum in cãtharo, communi loquendi genere dicimus, Hoc est piper, Hoc est vinum. Item Hoc, id est, hic panis, est definitiuè vel etiam repletiuè corpus, &c. Quòd si hæc, in suã sententiã ad illius enuntiationes voces enuntiatione, discrepantia non impedit quominus & Pontificij in Transsubstantia-

tionis, & vos in vestræ Consubstantiationis commento cōsentiatis, an propterea quòd initio præsertim ex tanta caligine emergentibus magnis illis viris, non constitit in qua potissimum sede tropus esset commodius collocandus, propterea in ipsa re dissensisse videri meritò possunt?

Ad 29.

Aduersum te, Hofmanne, & alios nobis contra omne nostrum meritum obiicientes quòd mysteria nostræ religionis ad humanæ rationis normã exigamus, dixi, *Nos de his rebus disputâtes, neque originem neque materiam, neque formam, neque effecta Sacramentorum à ratione petere, immò in his omnibus id asserere, quod humana sapiëntia ludibrio habuerit. At tu contra, inquis, alibi prolato exemplo ex lib. Iliad. 3. scribis Deum sapiissimè sese ad communem loquendi morem accommodasse, tum quoque quum abstrusissima religionis mysteria explicaret. Tunc verò istud inficiari ausis quin singulis Euangelij paginis, infinitis parabolis, atque adeò vobis ipsis interpretibus Ioan. 6. Panis, comedendi, bibendi, cibi vocibus refellaris? At enim, inquis, in Santesium scribens, asseris hunc omnium gentium ipsiusq; adeò Spiritus sancti perpetuum*

perpetuum morem fuisse, ut ad signorum vim ostendendam nomina rerum significatarum eis attribuerēt. Hoc asserui, fateor, & omnis generis exemplis probaui. Ergo, inquires, à te ipso manifestissimè dissentis. Imò manifestissimè hallucinaris, Hofmanne. Num enim ista phrasis, vel Sacramentorum est origo, vel materia, vel forma, vel effectum? Quorsum igitur pluribus ista refutarem?

Ad. 30.

Non conuenit, inquis, inter vos de huius tropi nomine, quem alij metaphoram esse volunt, pro qua, à Luthero, Philippo, & Bremensibus explosa, nunc substituitis metonymiam, quamuis Danaus recenter dicat hanc phrasim, HOC EST CORPVS MEVM, esse metaphoricam. Quasi verò quisquam ignoret metaphoræ appellationem interdum generaliter accipi pro omni significationis propriæ ad alteram translatione. Quod si largiamur non ita subtiliter fuisse à nostris initio hunc tropum suo proprio nomine declaratum, quid tum, quum de ipsa illius enuntianti sententia inter nos constet? At cur non etiam synecdochen vestram hîc commemoras, à qua tu nunc ad inusitatum prædicationis genus transis? Sed quid

si vos quoque apertè dixerò metonymiæ tropum in subiecto constituere? Quid enim aliud est, demonstratiuum pronomen (Hoc) interpretari In, Cum, vel sub hoc, si repudietur synecdoche, quàm dicere continens poni pro contento? Per absurdè id quidè, inuerso totius enuntiationis ordine. Quod autem hîc adiicis nos cogi agnoscere metonymiam nostram non esse sufficientem, & ideò illi adiungere Sacramentalis epitheton, quo tandem iure nobis abs te obiicitur? Etenim siue nuda sit significatio, siue cum rei significatæ exhibitione: eadè & vnica semper est metonymica phrasîs qua rei significatæ nomen signo attribuitur: neque ignoras Sacramentalem à nobis hanc metonymiã vocari, non vt eiusmodi phrasîs natura differentes statuamus, sed vt aduersus eos qui nos calumniãtur quasi in his mysteriis nuda signa statuamus, præberi quoque re ipsa res significatas doceamus.

Ad 31.

Quod hîc mihi obiicis ex orthodoxo Consensu, *Cuidam videlicet magno viro & orthodoxo, non satisfecisse Signi vocabulum in explicãdis de quibus hîc. agimus enūtiatis,*
quàm

quàm à nostra sentētia non dissentiat, ibidem explicatur, quatenus videlicet illi, cuius nomen non edit, videbatur Signi appellatio nimum esse diluta, quoniam signa sint sui natura du taxat significantia: in Sacramētis verò res significatæ non nudè significantur, sed etiam verè adsint & præbeantur. At non corpori, Hofmāne, vt tu putas, sed menti & fidei. Illum tamen, quisquis is fuit, nimis ea in re subtilē fuisse ausim affirmare, quū à verbo significandi & à nominibus Signi, Figuræ, Symbolorū, Antityporū veteres tum Græci tū Latini nō abhorruerint: imò ne Spiritus quidem Sanctus ipse per os Moſis & Pauli loquens. Ad Bohemicā verò cōfessionē quod attinet: quū iubent per Institutionis verba intelligi id quod per se sonant, id demū accipiendū esse tum de subiectis, id est vero Pane & vero Vino, tum de prædicatis, nempe de vero Corpore & vero Sanguine, non autem de ipsa attributione, totus ipse locus indicat: quā distributionē quū postea dicūt esse Sacramentalē & vtraque illa in sua substantia permanere, satis ostendunt nec Panem propriè esse corpus, nec Vinum propriè sanguinem, sed Sacramentali demū, sicut loquimur, metonymia.

Ad 32.

Sæpe iam sum testatus, siue in cõpula, quod mihi quidem commodiùs videtur, siue in prædicato, vt quàm plurimis summis viris placet, tropus statuatur, eãdem prorsus manere sententiam. Idem enim prorsus sonare has duas enuntiaiones, *Panem Sacramentali significatione esse illud corpus, siue Sacramentaliter significare corpus illud Christi traditum pro nobis, & Panem esse Sacramentum corporis illius traditi pro nobis*: qua explicatione nulla fit etiam vis declarationi à Christo additæ.

Ad 33.

Quis sit libellus iste quem formulam Concordiæ appellas ex quo hæc verba, tũ pag. 128, tũ etiã antea pag. 96 citas, *Corpus Christi exhiberi, non secundũ substantiam, sed secundum virtutem*, neque scio, Hofmanne, neque diuinare vnquam potui. Hoc scio, quod centies millies in Caluini scriptis extat, ipsum vbique diligenter cauere, ne quũ queritur de revel simplicis verbi, vel Sacramentorum, ipsemet Christus separetur à suis donis, ac præsertim ab illa Diuina & viuificatrice Virtute quæ ad nos ex ipso spiritualiter per fidem à nobis apprehen-

prehenso, velut ex capite in subiecta membra emanat. Quod igitur exhiberi illum nobis secundum substantiam negat, non est ad id referendum quod menti fideli spiritualiter sumendum præbetur, (quod est ipsemet Christus cum suis donis) sed ad id quod corpori corporaliter siue vt loquimini, oraliter, recipiendum exhibetur. Deinde ita significatur Spiritualem istam ipsiusmet Christi carnis per fidem perceptionem non perinde accipiendam quasi fiat aliqua substantiæ Christi inter nos vel commixtio vel transfusio: sed quòd ex carne semel in sacrificium oblata, & sanguine in expiationem effuso, vitam hauriamus: quæ sunt verba Consensionis mutuæ de re Sacramentaria inter nostras Ecclesias, artic. 23. Meritò igitur & in Geneuensi liturgia, & in Confessione Gallica Substantiæ nomen vsurpatur aduersus vestrarum calumnias, quòd ipsam Christi carnem à Cœna excludamus: & in Synodis Gallicis Ruppellana & Nemausensi, quibus, per Dei gratiam interfui, cõmoda addita est eius vocis interpretatio, ne perperam à charissimis quibusdam fratribus accipiatur, qui, nobiscũ alioqui in eadem per omnia confessione consentientes, hanc tamen vo

culam ut malè à vobis & à Pontificiis detortam declinant.

Ad 34.

Quæris an Heluetica Confessio affirmans, *Panem non esse ipsum Domini corpus, sed huius corporis symbolum, siue Sacramentum*, consentiat cum istis Belgicæ Confessionis verbis, *Nequaquam errare qui dicunt id quod comeditur esse ipsissimum Christi corpus naturale, & id quod bibitur esse verum ipsius sanguinem*. Respondeo ista quàm optimè & penitus inter se consentire, sed vel oscitantia vel non satis bona fide abs te omissum esse quod statim & continenter in eo ipso loco subiicitur: ista videlicet toridem verbis scripta, *At instrumentum seu medium quo hæc comedimus & bibimus, non est os corporeum, sed spiritus ipse noster idque per fidem*. Audis, Hofmanne, non de panis esu, nec de vini potu corporeo, siue orali, sed de spirituali veri corporis & veri sanguinis Domini perceptione per fidem agi, ac proinde ne tantillum quidem inter Helueticas & Belgicas Ecclesias esse repugnantia?

Ad 35.

Docet orthodoxus Consensus prædicationem

tionem Sacramentalem, quâ dicitur panis esse corpus, significatiorem & expressiorem esse, quàm istam prorsus propriam, quâ dicitur panis esse signum corporis. Et quoties hoc ipsum ego inculcaui, tantùm abesse vt tropus aliquid detrahat Sacramentali coniunctioni, sicut vos clamitatis, vt contrâ multum addat ad illius exprimendam naturam, &, nisi per accedentes steterit, efficacitatem? Sed contrâ video ego tibi ab orthodoxo Consensu recedere, in eo quòd scribam, *Idem esse si quis dicat panem illum non esse propriè corpus Christi, sed quatenus illud sacramentaliter significat: &, panem non esse illud corpus, sed duntaxat eius sacramentum, ac proinde vanissimum esse discrimen illud quod hîc nobis obiicitur.* Quasi verò Sacramentalis tropicę locutionis, qua symbolo tribuitur rei significatę nomen, duas explicationes proprias inter se comparare, & pares ac sententiã ealdẽ esse dicere, idem sit atque (quod fit in illo Consensus orthodoxi loco) propriam hanc enunciationem, *Hoc est signum corporis*, cum ista sacramentali, *Hęc est corpus meum*, conferre, & hanc quàm illam expressiorem esse affirmare: nempe quòd illius sit vulgaris sensus, cui nulla rei signatę promissio insit, ista

verò docent rem spiritualem corporalibus
 symbolis non tantum significari, sed etiam
 fidei menti spiritualiter sumendam præ-
 beri. Vide igitur, Hofmanne, quo te hîc
 quoque mei carpendi studium abripuerit.
 Et ne fortè obiicias, hinc tamen constare
 irregularem esse illam enuntiationem, *Hoc
 est corpus meum*, quæ ad propriam & regu-
 larem reduci non possit: respondeo (quod
 non ignoras) veteres non abhorruisse à sim-
 plici signi, & (quod etiam latius patet) fi-
 guræ appellatione, quum illam ipsam e-
 nuntiationem explicarent. Quidni enim
 hoc facerent Apostoli exēplo, qui *σημεῖον
 & σφραγίδα* circumcissionem carnis vocauit?
 Sed tamen assentior orthodoxi consensus
 scriptori, signi nomen non falsum certè,
 sed nimis dilutum nec satis expressum pro-
 pter exortas à vobis aduersum nos obie-
 ctiones existimanti: quòd nimirum non o-
 mnia signa sint exhibitiva. Sed si pro signo
 Sacramentū dixeris, vt in Ecclesia vsurpari
 vox ista consuevit, rem certè ita vt est re-
 gulariter expresseris: quoniam id demum
 est Sacramentale signum, cum quo res ipsa
 visibili signo significata, quamuis menti
 & spirituali modo, tamen tam verè su-
 menda

menda per fidem præbetur, quàm verè visibilia signa corpore percipiuntur.

Ad 36.

Definitio communicationem corporis & sanguinis Christi in Cœna, fidei perceptione. Calvinus autem in quadam ad P. Martyrem Epistola aliam præterea statuit quæ sit illius fructus & effectum, quum videlicet donis Sp. S. locupletantur quos Christus priùs fide sibi deuinxerat. Quum hæc putas inter se non consentire, Hofmanne, frustra te fatigas. Dico nostrã cum Christo consociationem fidei instrumento in Cœna Domini sanciri. Calvinus autem aduersus eos qui pro re seu verbi simplicis seu Sacramenti statuunt duntaxat Christi merita & beneficia, testatur nos primùm quidem ipsi Christo consociari, postea verò dona ipsius in nos defluere. Quænam autem est in istis vel leuissima repugnantia species? Perinde profectò ac si quis dicat inter illos non conuenire quorum vnus cibum manducatione, alter verò concoctione & digestionem percipi doceat. Quoniam autem pag. 95. idem nobis reponis, quæro ex te, Hofmanne, qua fide hunc Caluini locum interpreteris, quasi

h. ij.

senferit fide quidem recipi Christum extra Cœnam, in ipsa verò Cœna fructus & effectus Christi. Quis enim vel leuissimè Caluini scripta percurrit, qui non millies legerit nos in Cœna Domini ipsum-met Christum fide percipere, vt inde quicquid ad salutem & vitam æternam requiritur, ad nos defluat? Neque verò in illa Epistola vel vnicam voculam inueneris, vnde hoc commentum possis elicere; sed hæc Caluini verba inuenies quæ perperam deprauas, *Etsi in hanc communionem primo vocationis suæ die veniunt fideles,* (en quomodo extra Cœnam in simplici verbo & Christus ipse, & ipsius dona seu fructus fide percipiantur) *quatenus tamen in illis augetur Christi vita, quotidie se illis fruendum offert. Hæc est communicatio quam in sacra Cœna percipiunt,* augmento videlicet vtriusque illius totius communicationis antea in simplici verbo adeptæ: quòd instituta sit Cœna Domini, non vt tunc primùm & ipsi Christo cõsociari & eius donis frui incipiamus: sed vt crescat in nobis & nos in ipso. Perperam igitur duas illas communicationis species separas, quum duntaxat distinguendæ fuerint: & neque in simplici verbo, neque in Sacramentis ipse Christus fide apprehensus

hensus (qua etiam vnica apprehēdi potest) à sui spirit⁹ efficacia sit separādus: neq; instituta sit Cœna Domini, vt ab illis nostra cū Christo cōlocatio inchoetur, sed vt quod in nobis cœptum est, magis ac magis, repetito verbi auditu, & Cœnæ Domini vsu sancitum, paulatim augetur, ac tādē vltimo illo die perficiatur. A vobis autem qui tum in verbo simplici, tum in Baptismo *ἐνεργήματα* Christi ab ipsiusmet Christi *νομινα*: & contra, Christum ipsum, licet inutiliter, re ipsa tamē, ac proinde à suo salutarispiritu separatū participari ab indignis docetis, ista partim nō intelligi, partim vt noua reijci minimè miramur.

Ad 37.

Scripsi tibi respondens, eundē esse prædicationis Sacramentalis, & Sacramentalis signorum & rerum significatarum prædicationis modū, id est qua ratione signa & res significatę vnum sunt, eadē quoque ratione Sacramenta rei nomine appellari, relatiua videlicet, vt coniunctio, ita quoq; prædicatione ex Dei ordinatione & pacto.

At Orthodoxus Consensus, inquis, negat idem OMNINO esse prædicationem Sacramentalem verborum, & unionem rerum cū signis, quum

h. iij.

fit propriè virtus & gratia Sacramenti: non contingat, nisi in vero & legitimo Sacramentorum usu, ad accedentium salutem. Quid igitur Hofmanne? Tibine res ipsæ & earum modus vnum & idem sunt? Aliud esse locutionem de rebus quàm rerum vnitionem quis ignorat? Eodem tamen modo res esse oportet, quo esse dicuntur, vt sua constet orationi veritas. Præterea, an idem nullo modo esse dixeris quod non OMNINO sit idem? Denique tota contextus illius loci series ostendit vnitionem Sacramentalem eo loco non considerari absolutè in sese, sed quatenus est efficax virtus Sacramenti, respectu accedentium; quibus, siquidem fideles fuerint, tum signa tum res significatæ, id est totum & integrum Sacramentum est vnum quiddam, quod est indignis tantùm dimidium, utpote qui sibi sua incredulitate signum quod sumunt, à re se parent quam aspernantur, quamuis, sacramentalis coniunctionis in sese respectu, totum Sacramentum, signa videlicet corpori, res autem menti, sicut & in verbo & in baptismo, quibusuis præbeantur.

Ad 38.

Ait Danæus in Epistola ad Senecce-
rum

rum. *Christum in Cœna corpore suo à signis, non à nobis, tam esse remotum, quàm cœlum ipsum est remotum à terra.* At Calvinus Epistola 39. ad Bucerum ait, *illum rectè facturum si clariùs exprimeret se locorum distantia Christum à nobis qui in mundo sumus disjungere.* Omnino ita est, & utinam magnus iste vir perspicuitatis donum maius habuisset. Sed in summa, Hofmanne, quum sole pene ipso sit clariùs quod docemus, nempe sicut aliud in Sacramentis, imò etiam in simplici verbo intelligitur, aliud in verbo quidem auribus auditur, in Sacramentis autem oculis videtur: sic aliud corporis sensibus audiendum & videndum, aliud menti intelligendum, & fidei percipiendum præberi? quid miraris à Danæo dici à nobis, id est, à nostris corporibus quàm longissimè abesse, quod tamē nobis, id est nostræ menti & fidei nostræ, quàm præsentissimè, & quàm efficacissimè adsit? vidit enim his oculis ipse quoque Abrahamus diem Christi, & veteres fideles eandem atque nos escam & eundem potum habuerunt. Quanto magis nos qui ut illi promisimus, sic exhibitis credimus?

Ad 39.

Danæus negat corpus pani adiungi essentia
h. iiij.

sua, quoniam sola fides Christum ipsum sibi applicat, quæ tamen fide careat panis. Contrà verò Bohemica Confessio docet duas illas res distinctas, signum videlicet, & rem significatam, id esse quod significant, & de quo testantur, non tamen vel natura sua, vel naturali modo, sed ex institutione, & testatione fundatoris. Agnosco utrumque. Ergo, inquis, Danaus à Bohemica Confessione manifestissimè dissentit. Imò manifestè hic quoque hallucinari mihi videris, Hofmanne, quum putas Bohemos fratres censere essentiam carnis Christi usquam in terris, nedum in, sub, vel cum signis adesse: siue coniunctionem Sacramentalem esse aliquam coexistentiam realem, vel etiam aliquam in ipsum panem infusam energiam, vel virtutem: quos errores vides à nostris passim ex analogia fidei Christianæ reprehendi. Rectè igitur Danaus illud utrumque negat, quoniã Christi participatio tota spiritualis est, & fidei instrumento peragitur, quæ signis tribui nullo modo potest, nedum vt panis, vel fiat ipsum corpus Christi, vt nugantur Pontificij, vel sua essentia cohæreat, atque adeò uniatum cum pane. Nam certè ex alterutro istorum cõsequeretur potiore esse illius panis, quàm omnium fidelium conditionem,

nem : quum tamen non panis , sed hominum causa, sit Cœna Domini instituta. Rectè quoque Bohemi fratres Sacramentalem tum prædicationē, tum vnitionē (quæ tota est relationis, & minimè vanæ, sed diuinæ & certissimæ promissionis , in eo positam , vt quatenus vtrumque statuunt, semper à Deo minimè fallaciter præbetur, vnum videlicet corpore corporaliter , alterum mente & fide spiritualiter sumendum, eatenus hæc duo vnita dicantur.

Ad 40.

Scribit aduersus Harchium Beza, *Mutationem sacramentalem non magis esse miraculosã aut ineffabilẽ, quàm quum ex cera communi sit authenticum publici instrumenti sigillum. Contrarium statuit Petrus Martyr vt infra allegabo. Ego verò hac de re & antea non nihil respondi, & suo etiam loco dicam, si Dominus dederit. Tantùm nunc vnum quoddam attingam ex huius tuæ responsionis pag. 112. Scripsi signa inter homines rebus humanis sancientis usurpari solita, etsi à Christianis sacramentis, circumstantiis rituum, & rerum dignitate, ipsoque fiæ TANTVM differant, QVANTVM ab humanis di-*

*uina, & à cœlestibus terrena in genere tamen conuenire. Quid ad hæc, Hofmānus? Profanissima est, (inquit) hæc sententia, quæ differentia inter signa humana, & Sacramenta diuina plenè collecta, nihil largitur potentia Dei: Audis, lector, hominis religiosissimi sententia detrusum ad inferos prophanissimum Bezam. Sed qua ratione! Omnino enim (inquit) TANTVM habet vim exclusiuam. Quis verò tibi excidere istud potuisse crediderit, vt cùm *Tantum*, &, *Quantum* coniunguntur, *Tantum* acciperes pro *Solum* vel *Duntaxat*? Ecquod verò discrimen longius vel latius inter res vllas vel animo possis concipere, quàm quanto res diuinæ ab humanis, res cælestes à terrenis distant? En quò abripiantur quibus affectus dominantur. Ego verò ab hac tam enormi damnatione non modò ad lectorem quemuis non penitus iniquum, sed etiam ad ipsum Hofmannum, vbi hæc expenderit, prouocare non dubito.*

Ad 41.

Displicet tibi quòd in Confessione Bohemica Veritatis nomine, quam aiunt & à bonis & à malis accipi, intelligamus, non ipsam

ipsam rem Sacramenti, id est corpus & sanguinem Domini (etenim quæ communio Christi cum Belial?) neque fructum Sacramenti, consociationis videlicet cum Christo confirmationem, & quæ beneficia inde in solos credentes proficiscuntur, sed signa ipsa, quæ quod ad Deum attinet, semper sunt verum & integrum Sacramentum.

Sed dura est (inquis) hæc explicatio, & valde violenta: & nisi Epicureismus illam foueret, vix aliquam diuturnitatem ferret. Immò vt noris an fratrum Bohemorum mentem simus assequuti, lege, si voles, quod ex eadem Confessione in nostra harmonia citatur sectione 12. pag. 80. vers. 9. Istam verò Epicureismi criminationem, quâ nihil virulentius in quenquam dici potest, operæpretium est videre vnde tandem colligas.

An quod, vt tu dicis, signa & res significatas vnione quadam ex institutione Christi pendente non iungamus? Falsum, si modò per institutionem Christi non ipsa verba, sed Christi ordinationem illis verbis testatam intelligas. Sed vnionem illam certè aliqua substantiarum in eodem loco coexistentia vobiscum non definimus, quoniam neque ipsius corporis Christi veritas, neque Christianorum fidei analogia, neque ipse insti-

tutionis Cœnæ Dominj finis ac scopus istud patiuntur: sed relatiuam duntaxat, & nihilominus certissimam, ac, nisi incredulitas obstiterit, efficacissimam illam constituimus, vtpote non ipsorum signorum, sed nostri propriè causa institutam. Num, *quòd res significatas non faciamus corpus & sanguinem Christi?* Fallissimum & impudentissimè in nos retortum commentum. *At vos,* inquis, *res illas presentes cum signis esse negatis,* In terris, certè, & corporibus nostris præsentibus esse negamus: verè tamen quibusuis præberi, & fidelibus mentibus præsentissimas esse, & ab illis per fidem spiritualiter & efficacissimè percipi affirmamus: & hoc vtrumque tum Euangelicæ totius historix & Christiani symboli & vnanimi ac perpetuo Orthodoxorù omnium patrum testimonio confirmamus. Istud ne verò est Epicureos esse? *Sed eritne,* inquis, *panis & vinum ista veritas accepta?* Erit certè: Nam vt Euāgelium est veritas etiam ab infidelibus & hypocritis auribus auditum, ita & Sacramenta. Ideò rectè adiectum est in Bohemica confessione, *Sacramentaliter & externo modo.* Sed agè, audiant omnes, Hofmanne, præcipuum accusationis tuæ caput. *Eritne,* inquis, *panis & vinum*
ista

ista veritas accepta, quum credētibus indevita promittatur, quam vos ipsi docetis fideles haurire non ex elementis, sed ex corpore & sanguine Christi? At ego, Hofmāne, si tu arbitraris signa Sacramētorum esse ipsam Sacramentorum veritatem, & si doces vitam æternam vel ex signis, id est ex hoc pane & vino, aliter quàm quatenus fidem nostram excitāt, & aliūde quā ex ipso mediatore, id que propriè ex ipsius Deitate, vt vero Iehoua & vitæ fonte: ex ipsius autem carnis vt ex canali, & quatenus tum in illa fuerūt omnia nostra peccata expiata, tum eius per fidem apprehensę interuentu ipsi con sociamur, peti & hauriri posse existimas, non video quidem ego quānam non sis tu potius manifestæ idololatriæ reus, quàm nos pro Epicureis habendi: quod indignissimum tot piis & verè magnis in Ecclesia Dei viris, partim iam à Domino in suam quietem receptis, partim adhuc superstitibus conuitium abs te factum Deus tibi condonet.

Ad 42.

De hoc dicto quòd Christus extra passionis negotiū nihil nobis profuit, diximus supra suo loco.

Ad 43.

Quæris, Hofmanne, quomodo quod in præfatione orthodoxi Consensus scribitur, nempe *peracto & consumato nostræ expiationis mysterio carnis Christi præsentiam posthac minime necessariam esse*, cohæreat cum eo quod vobis aliàs ad negādā Christi carnis præsentiam in terris, obiicere consueuimus: nempe, *si Christus venturus est, Ergo nundum adesse: aut si iam proprie venit, celebranda nõ esse amplius mysteria*. Ad hoc verò quatādē refutatione opus est, nisi hæc pri⁹ quā in ista inter se dissentire existimes, nobis ostēdas? Enimuero quum Christus idcirco in carnē & in terras venerit, vt id impleret quod plenissime præstitit, quorsum in terris in illa carne versaretur? Itaq; non ad nos expiandos, quos, vnica semel facta oblatione sui ipsius, in æternum reconciliauit, sed ad iudicandum mundum rursus venturum illum expectamus Qui verò carnis præsentiam negat, Christum Ecclesiæ suæ ad cōsummationem vsque seculorum adesse minimē negat, sed diuinitate sua, virtute sua, gratia denique & merito, neque personam separat qui naturas suis perpetuò duraturis proprietatibus definit. Nondum autem adesse

in

in terris qui venturus expectatur è Cœlis res ipsa conuincit, & totidem verbis testatur Augustin^o, Et, si Christus carne adesset, sicuti vultis, quæ is esset horum mysteriorū vlt^o, quæ mādauit obseruāda donec veniret?

Ad 44.

Zanchus contendit dari nobis corpus Christi edendum non ut viuum, sed quatenus fuit ex angue in cruce: et sanguis eius bibendus, nō ut in venis situs, sed ut effusus pro nobis. At dicit Gallica confessio, quod mortuus & excitatus à mortuis nos pascat & nutriat. Et Beza dicit, Verbo Dei nos reuocari in sacramentis ad carnem Christi nō quæ sit in terris, sed quæ sit supra cœlos. Lege, Hofmanne, totum illū Zanchii locum pulcherrimum, & recto mentis oculo considera, & cōperies manducationem carnis, non ut nunc adhuc mortuæ, sed ut quæ mortua fuerit pro nobis, deducere nos ad vnionem spiritualem cum vero illo Christi corpore, quod iam in cœlis viuit, ut nos quoque remissionem peccatorum, in morte ipsius nobis specialiter quasi in viua imagine, in sacra Cœna repræsentatam amplexos viuificet. Cœnā verò Domini esse institutam propriè ad Christi sacrificij memoriam in nobis renouandam, & expiationem peccatorum no-

bis quasi ob oculos ipsos ponendā, & in mē-
tibus nostris vera fide obfirmandam, tum
ex ipsis institutionis verbis, tum ex fra-
ctione sacramentali (quæ adhuc in vestris
liturgiis desideratur) tum denique ex eo
constat, quòd seorsim & distinctis symbo-
lis corpus edere vt traditum pro nobis, &
sanguinem vt pro nobis effusum bibere,
& sic mortem Domini annunciare distin-
ctè iubemur.

His expositis quibus videri potes stu-
duisse discordiam inter fratres serere, (sed
frustra vt spero) erudire nos quidem certè
cum ista tanta confidentia non potes, qua-
si qui à te dissentiat nihil sentiat, regredior
ad pag. lib. tui 24. in qua conuitium mihi
facis grauius quàm vt eo non commouear
sed leuiore de causa quàm vt irasci possim.
Sum testatus Deum & Seruatorem meum
vnicum, apud cuius tribunal omnes stabi-
m⁹, nihil mihi esse charius veritatis studio,
& si ex te aliquem errorem didicissem, me
quàm auidissimè fuisse veritati assensurū.
Addidi me staturum Ecclesiæ iudicio, si
collatis tuis & meis rationibus deprehēde-
rer in errore versari. Obsecro, quidnam
hïc à me dictum est quo quisquam offendi
meritò possit? Scio per Dei gratiam, ne-
que

que ex te didici, quàm formidabile sit Dei iudicium, sed quorsum hoc ad meam istã obtestationem? Nec enim ego quicquã hîc mihi tribuo, sed testor tantùm & verè testor, Hofmanne, apud Deum me id loqui quod sentio, nec scientem errare, si verfor in errore, cuius etiam rei iudicem Ecclesiam facio. Quid tu verò ad hæc, Hofmãne? *Nisi tu, inquis, imbutus esses opinione de inferis quam Pausanias in Laconicis sequitur* (idest nisi fabulas esse putares, quicquid de inferis ac proinde de cælis narratur) *aut si quid verius nouisti, securitate memoriam eius obrueres, ad tribunal Iesu Christi in hac causa, in qua apertius succumbis, non prouocares.* Scilicet, Hofmanne, tibi non assentiri, & tuas ad oculum demonstrationes non posse animaduertere, est Impiũ, Epicureum, alterum denique Mezentium esse, & quò tandem recidimus? Sed me reprimã. Tantũ mihi liceat testari per Dei gratiã, neque in doctrinã, quam in Ecclesia Dei semper sum professus: neque in eos mediocres quibus me exercui pro Dei Ecclesia labores: neque in meã vitam, Deo sit laus, cadere hanc criminationem meritò posse. At enim fortassis quispiam ex te non immeritò quæsierit quosnam cœ

los, & quos inferos esse credas si Ubiquitarios illos esse credis cum iis quorum dogma damnare tanta tibi est religio? Quicquid autem de istis rebus statuas non multum moror, neque morabor, donec te oculatiorem demonstraeris: quod si feceris, testor rursus bona conscientia apud Dei tribunal me ultro veritati, id est Deo celsurum, & tibi quoque ut mihi misso diuinitus monitori gratiam, sicuti par est, habiturum. An autem adhuc talem te mihi præstiteris, agedum etiam ex istis quæ sequuntur minimè recuso quin æquus lector diiudicet.

Scripseras pretiosum esse nobis vel apicem unum verbi Dei in ipsius conspectu, Respondi, neminem nostrum esse qui istud vel leuissimo verbo inficietur. Quid tu verò? Quomodo inquis, apicem unum admirabimini qui aliquot verba Christi deseritis, & quinque uerbiam nostram probationem appellatis? Hoc est scilicet, Hofmanne, ad oculum nostros errores crassissimos demonstrare? Quid enim Christianæ Religionis fiet, si verbum Dei deserere dicatur quisquis in singulis Scripturæ locis propriam uocum significationem, aut enuntiationum τὸ ἑνὸν non seruarit. Et quid uobis fiet, qui cap. Ioan. 6.

Carnis

Carnis & Sanguinis voces, Comedendi & Edendi verba, metaphoricè interpretamini? perperam quidem illas, quum non minus propriè quàm ipsa verba institutionis usurpentur. Sed audiamus aliquid ampliùs.

Respondens ad tuum illud. *Vos simpliciter Dei verbo insistere, dixi, nihil etiam aliud in ore habere nostros communes aduersarios, Imò, inquis, Omnino aliud Pontificij quàm nos, quum nobis maneat panis, qui ab illis fingitur abolitus.* Verè quidem istud, Hofmāne, sed vestrū vterque ait se simpliciter verbo Dei insistere. Quis autem erit istius controuersiae iudex? Ipsum, inquis, Dei verbum. Rectè id quidem in genere: sed absurdissimè si per hoc Dei verbū intelligas hūc ipsum locum, de cuius interpretatione falsa sit an vera quæritur. Sic enim nullus erit disceptandi finis. Sin verò controuersiam cenles ex aliorum scripturæ locorum collatione & ἀναμφοιβήσιν analogia fidei dijudicandam, rectam sic demum viam ingrederis, tã frustra alioqui iactans verbum Domini, quàm olim Iudæi templū Domini aduersus Prophetas.

Scripseras, *agitari inter nos num verba Testamentaria Institutionis, ipsam substantiam verborum quæ nominant, an verò quæ quod-*

*dam antitypum tantum polliceantar. Respon-
 di totam hanc in nos accusationem esse cõ-
 mentitiam. Primùm, quoniã Substantiam,
 quam vocas, minimè statuímus esse rē va-
 nam, sed ipsummet Christum imprimis, tũ
 omnia ipsius bona, ad æternam vitam per-
 tinentia. Deinde quòd rem illam dicamus
 in illis mysteriis ita significari fidei nostræ
 sacris illis signis & ritibus, vt etiam verè cõ-
 municanda præbeantur, & quæsiui quid
 amplius in sacra Cœna ponere possitis.
 Quid tu cõtrà? Omittis, inquis, quæ te in sta-
 tu retinere debebãt. Nos enim in verbis τὸ π̄ν-
 τὸν seruandum, vos λέγουσαν querendam con-
 tenditis, & τὸ π̄ντὸν auersantes, tollitis certè ve-
 ritatem corporis & sanguinis Christi, quæ cum
 pane & vino legantur, & nihil præter elemen-
 ta panem & vinum relinquitis, corpus verò &
 sanguinem Christi in duntaxat significata mu-
 tatis, & quum Christus dixerit Hoc est cor-
 pus meum, tu contrà obgannis, Non est illud
 corpus. Hocci-ne verò est, Hofmanne, dispu-
 tare, an potius nugari? Tu τὸ π̄ντὸν vrges, id
 est propriam singularum vocum significa-
 tionem. Ego verissimum esse non nego
 quod dicitur, sed interpretatione egere, &
 significantissimo tropo, non autem pro-
 pria & natiua notatione dico explicãdã hãc
 attribu-*

attributionem. Num verò negat panem verè dici esse corpus, qui analogiam fidei postulare docet, vt quo sensu panis dicatur esse corpus, inquiratur? Nosti certè paralogismum à dicto $\pi\omega\varsigma$ ad id quod dicitur $\acute{\alpha}\pi\lambda\omega\varsigma$, siue id quod dicitur affirmetur siue negetur. Et quã verè dicis, nihil relinqui pani & vino præter elementa, vel corpus & sanguinem Christi in mera significata, idest spectra mutari, nisi coexistentiã vestram vobis concedamus? Imò quãnam tandẽ vel transsubstantiationis, vel cõsubstantiationis commentum posse cum $\tau\omega$ $\rho\eta\tau\omega$ cõciliari demonstrabis? Nam aliud est panem esse corpus, quàm desinere esse panem vt incipiat esse corpus, vt & ipsi Scholastici doctores agnoscere coguntur. Magis autem etiam absurdè dixeris panem dici esse corpus, quoniam corpus sit in, sub, vel cum illo pane. Nam ita fiet vt mutetur enuntiati tum natura, tum ordo. Natura, quoniam diuersa est quæstio, qua quid sit, quàm ea quã quæritur vbi sit res quæpiam. Ordo, quoniam in illa vestra explicatione prædicatum mutatur in subiectum.

Sed agè, rem ipsam propiùs aggrediamur. Accusamur à vobis quòd nuda signa statuamus. Nos negamus: & hac ratione

inuiſta veſtram criminationem elidimus, quòd cum ſignis dicamus ſemper, nec vnquam fallaciter rem quamque Sacramentaliter ſignificatam (id eſt Chriſtum ipſum cum ſuis donis) quibus ſuis præberi: ſed ſigna quidem corpori, rem autem menti. Num enim negabis Sacramenta dici, in quibus aliud videtur, aliud intelligitur? At certè corporea ſenſibus, *non tamen* verò? quæcunque illa ſunt, id eſt etiam ſi ſuapte natura & in ſeſe corporea fuerint, vt ſunt Chriſti corpus & ſanguis, tamen quatenus intelligibili modo proponuntur, non ſenſibus, ſed ſolo intellectu apprehenditur. Hæc igitur noſtra eſt ſententia. Tu verò præfatus *te nolle fidem tibi haberi niſi probes, nihilominus nuda ſtatui à nobis ſymbola*, duplicem ponis nuditatem, vnã à qua nos abſoluis: alteram cuius nos reos facis. Accipio conditionem. De vtraque tamen agendum dicamus, quando quidem diuinitus accidit, vt priorem quantumuis nihil ad nos pertinentem prætermittere nolueris.

Primum igitur, inquis, nuda ſigna ſunt, quæ res viſibilis, miſſa ordinaria relatione, abſolutè intelligitur: quod eſt Auguſtino lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 5. & 7. Signa pro rebus accipere, id eſt, rebus neglectis, nudis ſignis

gnis inharere. Imò quid hoc rei est? Nam certè qui signa diuinitus vestita denudant, detrahunt illis velut ipsam formam, quum signa non sint suaptè natura signa, sed ex Dei institutione. Quid igitur absurdius dici possit ego quidem non video, quàm nuda signa ab iis statui, qui tantùm ab eo absunt, vt aliquid illis detrahant, vt contrà. non iam illa pro signis, sed rerum ipsarum significatarum loco habeant: vt qui ex Iudæis sanguine taurorum & hircorum peccata expiari somniabant, vt & hodie Pontificij crustulum panis pro vero ipso Christo adorantes. Non est hoc igitur, Hofmanne, signis detrahere, sed iis plus quàm oportet attribuere, immò ipsius diuinitatis spoliis ornare, quò etiam spectat doctrina de opere operato & ἔθελοθρησκείαι omnes. At ab illis nuda statuuntur Sacramenta qui mera esse μνημόσυνα docent, vel externas tantùm societatis Christianæ referas: qui denique rerum significatarum veram præbitionem tollunt. Quum autem in isto tam apertè hallucineris, videamus an in altero sis oculatior.

Deinde (inquis pag. 37.) nuda signa dicuntur, quæ in nuda significatione consistunt, nec realiter, id quod significat sibi præsens habent.

aut sui communicatione realiter præsens exhibent. Optarim te, Hofmanne, planius loquutum, etiam si quid tibi velis satis intelligi posse ac debere arbitror ab hominibus istarum controuersiarum non imperitis. In summa, REALITER accipis pro SVAMET ESSENTIA, & PRÆSENS ESSE vis quod adsit in terris, & PRÆBERI id demum vis quod Oraliter cum ipsis signis præbetur. Primùm autem quæro num in genere de Sacramentalibus omnibus signis agas, an verò de iis duntaxat quæ in Cœna Domini proponuntur, nempe de Pane & Vino, neque temerè hoc quæro. Quum enim non omnia Sacramenta essentialia & corporeum aliquid significarint, sed interdum res præteritas, vt Pelach transitum Angeli Domini Exod. 12. 27: Azy-mi panes, subitum exitum ex Ægypto: Festum tabernaculorum, commorationem in deserto: interdum autem effectum aliquod interius, vt Circuncisio Præputij, re-ctationem corruptionis nostræ & iustitiam ex fide: interdum essentialia quidem aliquid, sed nondum re ipsa in sese existens, ac proinde signis ipsis non adherēs re ipsa, sed soli ritè accedentium intellectui, & fidei præsens, cuiusmodi omnia illa fuerūt
quæ

quæ ipsum secundum carnem nasciturum Christum repræsentabant: cogere aut illa signa statuere nuda & inania (quod dici sine impietate non potest) quum eandem atq; nos, ipso interprete Luthero, In Serm. 7. in post' l. magna super Epist. 1. Corint. 10. Patres manducarint, & eundem atque nos potum biberint: aut tuæ illi explicationi quidpiã addere vel detrahere. Sed ponamus hîc à te differi de nouis tantùm duobus Sacramentis: ne hoc quidem quod ais Aquæ Baptismi conueniet, ex vestra sententia qui propterea quòd Christus non dixit, Hæc aqua est sanguis meus, sicut de poculo dixit, Hoc est sanguis meus, idcirco Aquã Baptismi nunquam dixeritis esse Christi sanguinem, id est, in, sub, vel cum hac Aqua esse Christi sanguinem. Eritne igitur, quæso, Aqua nudum signum in Baptismo? quod tamen ex illa tua explicatione consequetur. Deinde quum, teste Apostolo, immersio & emersio, quæ & ipsæ significationem suam Sacramentalem habent, mortem, sepulturam & resurrectionem Christi, vt nostræ regenerationis causas, menti repræsentent, res certè iam à multis seculis præteritas, & quæ in prædicamento substantiæ non comprehendun-

tur, num illas aquę Baptismi realiter adesse dixeris? Sed ponamus specialiter hęc à te differi de sacra Cœnæ signis. Quum fractione panis (quem ritum Sacramentalem nondum, sicut factum oportuit, restituis) ipsa Christi carnis immolatio intellectui repræsentetur, nū realiter pani etiam illi adheret, aut illa inane signū est? Quod autem existimas pani & vino Cœnæ Domini adesse REALITER, ipsum corpus & ipsum sanguinem, eo ipso loco videlicet & in terris, vnde tandem habes? Nam præterquam quod repugnat carnis Christi veritas, & eiusdem tum à nobis discessus suprà cœlos, & expectatus à cœlis reditus: manifestè quoque istud eo refutatur, quòd si verum id esset, mentem oportuerit in panem illum & vinum illud totam respicere. At contrà admonitum ab illis signis animum oportet, fide à terris, vbi iam corpus illud non est, supra cœlos vbi nunc demum est, & vnde venturum Christum expectamus assurgere. Negas? Audi igitur Augustin. *Ascendit ad cœlum, ibi sedet ad dexteram Patris. Audiant & teneant. Respondet aliquis, Tenebo absentem? quomodo in cœlum mittam manum ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde*

corde, quoniam absens Christus etiam præsens est. Nisi enim præsens esset, à nobis teneri non posset. Et ne quampiam præsentiam realem in terris imaginemur, Accedimus, inquit idem August, non carne sed corde, con corporis præsentia, sed fidei potentia. Et Paschasius, Nunquam caro Christi nisi de manu eius & sublimi ara, ubi Christus futurorum bonorum Pontifex ahsidet, accipitur. Et pulchrè Bernardus, Quasi verò Christus quum iam ascenderit in cælum, tangi aut velit aut possit? Et utique potest, sed affectu non manu, voto non oculo, fide non sensibus. Cuiusmodi infinita penè sunt testimonia ex ipso quoque Luthero & Brentio ad verbum descripta, à quibus si postea discesserunt, quid ad nos? Denique quum verbi ad elementum accessione fiat Sacramentum, ac proinde verbum coniunctionem signi & rei significatæ efficiat, annon vehementer falleris si existimas Christi corpus illi pani, & Christi sanguinem illi vino aliter adesse quàm ipsi verbo adsit. Hoc olim rectè fassus est Brentius in Exegesi totidem istis verbis, Non aliter panis est corpus quàm quâ verbum ad nos corpus adfert. Itaque vestris ipsis doctoribus testibus, tam adest corpus Christi realiter præsens verbo Sacra-

mentali quàm pani: immò ideò & eatenus
 pani, quatenus illi Verbo: quia panis non
 esset Sacramentum, nisi id efficeret aut cer
 tè restaretur verbum. Et ne de solo verbo
 Sacramentali istud dictum intelligas, ecce
 tibi Lutheri verba in lib. de captiuitate Ba
 bylonica, *Plus momenti est in verbo quàm in
 signo, quia signa possent etiam non esse, ut ta
 men verbo se sustentet homo:* quæ Lutheri
 verba, etsi eo loco agat de verbo Sacramen
 tali, tamen non possunt aliter quàm de sim
 plici verbo prædicato intelligi. Et apertiùs
 etiam August. in lib. 50. Homil. Homil. 26.
*Quid vobis, inquit, plus esse videtur? verbum
 Dei quod per prædicationem erogatur an cor
 pus Christi?* (Sacramentale videlicet) *Si ve
 rum vultis respondere, hoc utique dicere debe
 tis, quòd non sit minus verbum Dei quàm cor
 pus Christi.* Vna igitur & eadem res est, Hof
 manne, mentibus accedentium, siue per
 aures duntaxat audibili tantùm verbo, si
 ue reliquis sensibus, signis visibilibus addi
 tis, significata simul & præbita, Christus ipse
 videlicet cum suis omnibus beneficiis, ve
 rum fidei tum in verbo simplici, tum in Sa
 cramentis obiectum. Sed latiùs patet, & de
 longè pluribus agit verbum Dei quàm Sa
 cramenta, quòd tamen nunquam, quòd ad
 Deum

Deum loquentem attinet, nudum & inane dici sine blasphemia potest.

Num igitur ea omnia de quibus loquitur nobiscum Deus, siue promittat, siue mine- tur: siue præterita siue futura, siue eo ipso quo loquitur tempore existentia enarret, Realiter siue Essentialiter verbo adesse nos imaginari iubes? Ex his autem omni- bus illud certè efficitur, vestram illam rea- lem coexistentiam, qua non concessa pu- tatis nuda signa relinqui, merum esse fig- mentum, nec veritatem Signorum istud vlllo modo requirere: sed hoc vnum, vt ve- rè & minimè fallaciter dicatur quod Ver- bo dicitur, & verè significetur menti quod signis externis significatur, siue res illa sit loco præsens siue absens, siue propinqua siue remota, siue substantialis & corporea siue accidentalis, siue denique sit in rerum natura, siue non sit, cuiusmodi sunt res præ- teritæ & futuræ. Exemplum autem quod profers, cuiusmodi tandem est? *Si quis dice- ret, inquis pag. 37. Flammæ in ore Apostolo- rum, fuisse Sp. sanctum, significando tantum, non quòd Sp. S. fuerit realiter cum flammis præ- sto, & in Apostolis realiter effusus, hîc nudum symbolum faceret quicquid de Sp. S. magnificè declamaret.* Primùm enim, flammæ in os

apostolorum inditas nusquam legitur, ut
 oralem infusionem externam nullam hîc
 possis cōminisci. Deinde, ut Essentialiter
 præsens vnitus adfuerit Spiritus S. quînã
 inde possis idem de corporis cum pane præ
 sentia statuere, quin de duobus omnium
 dissimilimis, nempe de infinita natura,
 (qualis est Spiritus Sanctus, cuius Deitas eo
 ipso probatur quòd vbique sit) & de huma
 na circumscripta suis dimensionibus
 natura, ac proinde nunquam simul tota
 pluribus locis, sita, idem iudicare coargua
 ris? Postremò, si fortè existimas ipsam San
 cti Spiritus personã vel in Apostolos fuisse
 effusam, vel aliter fuisse aut columbæ in
 Christi Baptismo, aut igneis illis linguis
 adfuisse quàm ea qua vbique est præsentia,
 vide ne quis non iam errare te, sed planè
 delirare existimet. Eiusmodi enim Sacra
 mētalis præsentia Dei, ut in plurimis visio
 nibus, in arca, in columna nubis & ignis,
 non ad vllã Essentiæ ipsius diuinæ percep
 tionem pertinuit, sed fuit fauoris & bene
 ficentiæ ac efficaciam ipsius peculiare testi
 monium: quo etiam sensu ipse qui omnia
 implet, & à nulla re continetur, in solis
 sanctis suis dicitur habitare.

Remoues, (inquis pag. 38.) res significatas

tam

tam procul à signis quàm procul abest Cælum à terra. Sanè. Quinam enim illa mysteria celebraremus donec veniat Dominus, si iam adest? Sed quod remoueo à signis & corporibus nostris, num à mentibus, rem promissam, sicut verbum Dei loquitur, & signa ipsius oculis testificantur, per fidei oculū intuentibus, remoueo, quum iis ipsis oculis Abraham diem illum Domini, tam multis ante seculis viderit: & hoc ipso fidei ore patres illi in deserto eandem atque nos escam comederint, & eundem potum biberint?

Quæ tu subiicis, Hofmannè, vsque ad pag. 52. testor coram Domino à me fuisse, qua potui diligentia, considerata, appensa, expensa, nec tamen illa vnquam potuisse me consequi. Itaque te vehementer, etiam atque etiam, rogo, vt si vis à me intelligi, perspicuitati studeas, aut etiam si maioris hanc in me culpam deriuare, maiorem mei stuporis rationem habeas. Tantùm igitur ad nonnulla respondebo quæ vtrūque fortasse diuinaui. *Communicationem*, inquis, *à signis refers ad fidem, rem planè aliam quàm quæ ad integritatem Sacramenti, vt August. loquitur, pertineat*, id est, si rectè quid tibi velis intelligo, putas nos docere

panē & corpus in hoc mysterio simul coniungi & adesse respectu duntaxat Communicationis fidelium, quasi Sacramenti integritas non ab institutione & vnitione Sacramentali, sed ab accedentium fide pēdeat. Respondeo, si Communicationis vocem passiuè pro perceptione accipias, τὸ ὅλον Sacramenti non magis à me violari, quum dico totum Sacramentum, id est tum signa tum res significatas, à solis fidelibus percipi, quàm lucem Soli detraho quum dico vnis illis Solem lucere qui visionis oculis præditi Solem intuentur. Sin verò Communicationis nomine præbitionem intelligis, aut sententiã nostram non percipis, aut peruertis. Ecquis enim nostrum vnquã negauit, in legitimo Sacramentorum vsu, tota semper & esse & præberi quibusuis Sacramenta, quum nunquam fallat Dominus Deus noster? Ergo, inquires, à quibusuis etiam totum Sacramentum, id est tum panis tum corpus percipitur. Et hoc illud est in quo impingitis ex falsa præsuppositione, quòd videlicet tam ad sit re ipsa in terris & essentia sua cum pane ipsum corpus quàm panis. Nos autem docemus panem quidem in terris adesse, & corporali ac communi modo sumendum præberi.

beri, corpus autem cœlitus præberi menti spiritualiter per fidem amplectendū, vnde sequatur semper quidem esse totum & verum in sese Sacramentū, & totum quoque ac verum semper præberi, sicut idem Evangelium vitæ totum semper in sese est, & totum quibusuis annuntiatur, quamuis à solis fidelibus totum recipiatur, & Sol lucēs sese lucēmque suam quibusuis præbet percipiendam, quamuis soli vsu oculorum præditi lucem illius recipiant.

Dixi propriis locutionibus, quibus quod signi est signo, & quod rei est, rei tribuitur, nos doceri non plus Sacramentis tribuere quàm par sit: contrà verò figuratis locutionibus nos instrui ne minus quàm par sit, eis tribuamus. Ergo, inquis, *præbitionem & perceptionem plenis buccis verbo polliceris, quàm sensu subducis. Si enim propria locutio, signum duntaxat statuens, è usurpanda est, ne plus quàm par est Sacramentis tribuatur, id quod præter signi rationem additur, plus erit quàm par est, cuius refecandi gratia dicis figuratas locutiones assumi.* Immò vbi dixi, Hofmanne, figuratas locutiones idcirco adhiberi vt refecetur superfluum aliquid Sacramentis attributum? Nam è contrariò expressè dixi figuratas locutiones, quibus vi-

delicet rei significatæ appellatio ipsi signo attribuitur, idcirco abhiberi vt suppleatur id quod deesse propriis locutionibus videbatur. Exemplis res fiet illustrior quæ in meis etiam Quæst. expressi. Quum dico panem esse signum corporis, corpus esse rem signo panis significatam, sic doceo panem quidem illum non esse habendum vt vulgarem & communem panem, sed vicissim cauendum ne vim illi affingam aliã quàm corporis illius significatiuam: qua in re gra uiter peccant tum ij qui signum accipiunt pro re ipsa, vt transsubstantiatores, tum qui diuinam aliquam virtutem ipsis sacris signis insitam esse somniant. Rursum autem ne quis illam significationẽ putet esse communẽ aliquod *μνημόσυνον*, vel duntaxat Christianorũ inter se societatis tesseram, adhibentur figuratæ loquutiones. Sic dicitur panis esse corpus illud traditum pro nobis, vt intelligamus in Cœna Domini per panem ita significari corpus, vt id quoque quod significatur, tam verè præbeatut fidei mente spiritualiter percipiendum ad vitam æternam inde hauriendam, quàm verè panis ad hanc fouendam vitam foris præbetur, & ore percipitur: sic igitur sibi mutuas operas præstant propria & figura-

ta locutio : illa quidem prohibens ne plus quàm par sit, ista verò vetans, vt minus quàm par sit Sacramentis tribuatur: illa, inquam, prohibens ne in hac sacra aetione quod rei est ad signum transferatur: ista verò vetans ne significationi sacramentali præcipuus & primarius suus vsus in rei significatæ vera præbitione & perceptione positus detrahatur. Sic magica cõsecratio sic ἀπολατρεία, sic superstitiosi abusus plurimi sacrorum signorum tolluntur, Hofmanne. Sic quoque Sacramentis suum discrimen seruatur, quo à vulgaribus signis discernantur, & sua vis ac dignitas asseritur: nec illa tua reali coexistētia nobis hîc est opus, vel in verbo simplici, vel in Sacramentis.

Dixi quæst. 23, Sacramenti voce interdum signa duntaxat, interdum ipsas quoque res significatas intelligi, vt quum Sacramenta dicuntur constare duabus rebus, vna terrena, altera cœlesti: interdum denique sic vocari aetiones illas sacras & mysticas, veluti quum dicimus duo Christianorum esse Sacramenta, nempe Baptismum & Cœnam Domini. Hinc tu extruis duas definitiones, sed à meis longè diuersas, quarum vnã quæst. 13. alterã quæst. 17.

expressi. Tua igitur hæc prior est definitio, *Sacramentum est signum, quum elementum, & res elemento sacramentaliter vnita definitionem præstant, vt cum Sacramentum in his locutionibus consideratur, Panis Cæne Domini est corpus Christi, & Vinum est sanguis Christi.* Enimuerò, Hofmanne, sicine ego infanierim, vt tum velim Sacramentum pro signo dūtaxat accipi, quum figurata phrasi dicitur panis esse corpus, & vinum esse sanguis? Quasi verò definitioni, præsertim propriæ & essentiali, conueniant phrasæ figuratæ. Deinde quânam Sacramentum pro signo definierim, si pro signo rem ipsam essentialem significatam substituerim, id est panem esse corpus ipsum dixerim? Ego verò longè aliter dixi, Sacramenti vocabulum quum pro signo Sacramentali duntaxat accipitur, esse *Signum visibile diuinitus institutum Ecclesie, cuius vsu Christus cū suis beneficiis ad æternam vitam spectantibus, ita significatur conueniente quadam analogia, vt etiam re ipsa in credentium animis obsignetur.* Ista qui inter se comparabit, videbit, Hofmanne, quàm procul & à mea sententia, & ab ipsa veritate aberraris. Altera tua definitio Sacramenti pro actione, hæc est, *Sacramentum est Actio, quum manducatio corporalis*

*ralis dicitur Sacramentum mādicationis spiri-
tualis.* Egone verò, Hofmanne, vsque adeò
me ridiculum præbuerim, vt Sacramentum
non pro signis, sed pro ipso omnium signo-
rum vsu, ipsaque adeò mysticæ actionis ac-
cipiens, mādicationem corporalem (quæ
& ipsa est signum) pro exemplo supposue-
rim? Non vsq; adeò infans, mi homo. Sed
vsus sum hac longè alia definitione, in qua
vide quid sis tandem desyderaturus. *Sacra-
mentum est Actio quadam sacra, diuinitus Ec-
clesiæ ad consummationē vsque seculi demāda-
ta &c.* Nec enim pluribus hæc explicare ne-
cesse est, opinor, vt omnes intelligāt quàm
absurdè mihi tribuas istam elementorum
& rituum permutationem, quum & ele-
menta, id est, (vt ego disertè exposui quæst.
9.) corporea illa terrena, (nempe aquam in
Baptismo & panem & vinum in Cœna Do-
mini) & ritus etiam Sacramentales, veluti
immerсионē & emersionem, ablutionem
denique externam. in Baptismo: fractio-
nem panis, fusionem vini, præbitionem, re-
ceptionem, externum esum & potum, in-
ter signa non autem ad actionis genus retu-
lerim, cuius etiam rei rationem reddidi
Quæst. 17.

Sed audiamus quid illis tuis, non meis

definitionibus superstruas. *Sacramentum*, inquis, *est integrum bonis & malis secundum priorem definitionem, quæ genus ponit ipsa elementa.* Obsecro verò, Hofmanne, quod est istud genus, quæ sunt ista elementa? Neutrum enim ego in illa tua, quam vocas, definitione inuenire potui, quamuis vtraque quanta potui diligentia peruestigarim. Totum tamen & in se se semper esse Sacramentum, & semper à Deo tum dignis tum indignis præberi, etiã quum Sacramenti signum vocabulum pro signis duntaxat accipitur, millies iam repetij, idque ex consequenti, quoniã videlicet vnũ absque altero statui non potest, quamuis ista signi notatio alteram tantum Sacramenti latiùs accepti partem, externam nimirum, propriè declaret.

Quod autem ais, *non tantum præberi, sed etiam accipi ab indignis integrum* (id est totum, vt tu quidem loqueris) *Sacramentum*, nempe tum panem, tum ipsum Christi corpus, tunc ostenderis quum probaueris incredulitate quoque recipi Christum siue in simplici verbo, siue in Sacramentis: & Christi participationem à vitæ spiritu posse vllò modo separari: non esse denique semper verum victuros in æternum quicumque Christi carnem edunt, & eius sanguinem

guinem bibunt. Nam verum quidem est quod ex Paulo citas, eos videlicet qui indignè ex hoc pane ederint, & ex hoc poculo biberint, (quæ sunt Sacramentaliter corpus & sanguis Domini, ac proinde cum quibus spiritualiter præbetur etiam indignis corpus & sanguis Domini,) reos corporis & sanguinis Domini fieri: at non accepti (vt tu opinaris, quum sola fide Christus recipiatur) sed contempti & per incredulitatem repudiati: sicut Euangelium semper est in sese verbum vitæ, & tale proponitur etiam indignissimis, sed iis est odor mortis qui verbum aure audientes, id quod per verbum significatur, Christum videlicet & eius beneficia, per incredulitatem respuunt. Quod autem ex Augustino citas de Baptismo inter schismaticos & hæreticos administrato differente, nihil pro vestra sententia facit. *Nihil interest;* (inquit August.) *quum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide sit imbutus qui accipit Sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti questionem nihil interest. Fieri enim potest vt homo integrum habeat Sacramentum & peruersam fidem.* Et rursus, *manifestum est fieri posse vt fide non integra*

maneant integrum Sacramentum. Item. sacramēta si eadem sunt, ubique integra sunt, etiam si depravatè intelliguntur, & odiosè tractantur. Hæc, inquam, & eiusmodi alia, quæ in iis libris centies repetuntur, non eò spectant vt intelligamus quod perperam prorsus docetis, nempe tum rem, tum res significatas ab indignis quoque percipi: neque integrum ibi opponitur dimidio siue truncato, accipientis respectu, sed quale est in sese & quale offertur, nempe bonum, sincerum & minimè adulterinum, vt apparet ex synonymo sanctitatis, & ex opposita peruersa fide: & ex his eiusdē cap. 15. verbis. *Si, inquit August. Euāgelicis verbis Baptismum consecrabat Marcion, quamuis eius fides non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata &c.* Apud August. enim minimè disputatur an baptizati inter hæreticos & ipsi pro tempore hæretici, integrum, id est totum, siue signum simul & rem significatam, id est sanguinem Christi & abluionem à peccatis ac renouationem recipiant, quod dicere, ne tu quidem ausis, Hofmanne: sed hoc quærebatur, an nihilominus esset integer, id est verus & legitimus ille Christi Baptismus, vt rebaptizandi non essent ab hæreticis baptizati, sicuti malè censuerat Cypria-

Cyprianus, rectè contrà censente August. integritatem & sanctitatem Baptismi, neque à fide baptizantis, (modò recta seruetur Baptismi formula essentialis) neque à fide baptizati pendere, nihil profuturo tamen Baptismo baptizatis hereticis, nisi demum ab hæresi resipuerint. Nec alio sensu idem August. dixit. *Corpus Domini & sanguinem Domini etiam indignis esse, & non propterea nihil accipere qui nõ ad salutem illa accipiant.* Perperam igitur, quod ad indignam acceptionem attinet integrum accipis pro toto, siue pro signo & re significata simul. Perperam quoque ex posteriore illa tua imaginaria definitione in qua Sacramentum pro actione malè abs te intellecta accipitur, Integrum Sacramentum negas indignis quoque præberi. Nam quòd ad ipsam Sacramenti integritatem in sese, & eius quoque præbitionem attinet, idem prorsus statuendum est, vt antè dixi, siue Sacramenti vocem pro signo duntaxat, siue pro signo simul & re significata Sacramentaliter vnitis, siue pro sacra & mystica actione ac liturgia accipias.

Quæ postea multis verbis subiicis, & adeò tragicè exaggeras, ad me quoque nihil pertinent. Nec enim vsquam à nobis

dictum vel scriptum inuenies ab alia quàm fidei Dei promittentis & ordinantis fide ac potentia penderè Sacramentorum vt & verbi ipsius simplicis integritatē, & ipsiusmet Christi spiritualem præsentiam. Sed hoc quidem dicimus & scribimus, instrumentum fidei, quæ in nobis per Dei gratiam creatur, ad hoc requiri vt quod per se præsens est in Sacramento, sit accedentibus præsens: quemadmodum Sol etsi lucem suam præbet omnibus, tamen cæcis non lucet, sed iis solis qui videndi facultate sunt præditi. Vani sunt igitur & inanes isti tui clamores, Domine, à quibus facile potuit abstinere tua Dominatio, quandoquidem hac appellatione me pro tua modestia dignatus es hoc loco pag. 46.

Quod denique vltimo loco commemoras pag. 54. tam certè vanum est, vt nisi de re tam seria inter nos ageretur, iocandi potiùs quàm disputandi gratia excogitatum à vobis istud fuisse meritò videri possit. *Nisi enim, inquis, Christum sua Humanitate re ipsa siue sua substantia cum symbolis adesse, & ore simul ab indignis & dignis sumi profiteamini, quid Cæna Domini ab aliis piarum siue prandiis siue Cænis differet? Differet, Hofmanne, vt paucis respondeam ad*
tam

tam ineptum quæsitum, quantum à terrenis cœlestia, à caducis æterna, à cibo dentis, cibus mentis differt. Nam etsi panis ille & vinum illud suapte natura res terrenæ sunt, & ore in terris percipiuntur, tamen quatenus neque vt panis neque vt vinum ἀπλῶς, sed relatè, vt verissima diuini fœderis σημεῖα ἢ σφραγίδες, ad res tam cœlestes nobis quasi visibiliter proponendas adhibentur, propter hunc usum supra res terrenas omnes euehuntur. Immò, (inquis, & quidem falsissimè,) *omnia in conuiujs fidelium sunt quæ in sacra Domini Cœna.* Immò nihil prorsus inter hæc simile, ne ipse quidem esus & potus, vt qui sint in sacra Domini Cœna diuinissimorum arcanorum signa verissima & in sanctis efficacissima, in communibus autem epulis nequaquam: sed lepidas tuas istas comparationes agedum, sigillatim expendamus.

Primum, inquis, in conuiujs fidelium sunt elementa cibi & potus. Falsissimum, si elementa pro signis & sacris symbolis illius cœlestis pabuli accipias, vt omnino faciendum esse ipsa elementorum Sacramentalium notatio demonstrat.

Secundò *Inest* (inquis) *sanctificatio eorundem per verbum Dei.* At longè alia san-

etificatio hæc est, & longè aliud verbum: Sanctificatur enim nobis terrenus cibus, quatenus sanctè & legitimè illo vescimur, ad vsum huius vitæ ex Dei creatoris benignissima concessione per fidã apprehesa & agnita. At panis ille & vinum illud, Dei non vt creatoris, sed vt redemptoris, peculiari & ad eternam vitam nos deducente ordinatione, nobis diuinitus præbentur & fiunt, expresso diuinæ promissionis verbo, nostræ cum Christo concorporationis sigilla.

Tertiò, tribuis *communibus piorum conuiujs diuinam, istorumque vocas elementorum, ordinationem ad significandum Deum cum beneficiis eius.* Si quicquid nobis Dei beneficiã testatur, cum sacris illis signis exæquas, nisi realem coëxistentiã profiteamur, verendum est tibi, opinor, ne te charissimi tui quoque explodant. Nam, vt cætera præteream, longè aliud est Dei in genere beneficia nobis per res infinitas in sensus nostros incurrentes ad gratias illi agendas in memoriam reuocare, quàm filiũ Dei sese nobis fruẽdum adhibitis cum speciali verbo signis ac ritibus præbere.

Quartò, contendis *pios communibus conuiujs commonesieri de cibo carnis & sanguinis*

nis

nis Christi. Nemo non nouit Christum non tantum esus & potus similitudinibus suam illam nobiscum coniuuentionem illustrasse: sed quod inde colligis futilissimum est, nec quicquam aliud probat quam eos prorsus ineptire qui hæc tibi argumenta suggererunt. Sunt enim profectò absurdiora quam vt abs te excogitata fuisse auisim suspicari.

Quintò, *Adest, inquis, fidelium ad conuiuium tale diuina vocatio.* Quod sit istud ænigma planius cum uoles explicabis. Et si enim carere cibi communis esu & potu nõ possumus, nusquam tamen lego nos ad bibendum & edendum in hac vita esse uocatos, sed ad æternam vitam & uocatos & electos, cuius pignora & tesserae sunt Sacramenta.

Sextò, *oralis, inquis, manducatio, in communibus conuiuiis est symbolica & mystica, quatenus uos nihil aliud per mysterium accipi uultis quam quod inuisibile per visibile intellectui offeratur.* Falsa & ridicula sunt hæc omnia, Hofmanne. Nullum enim est in communibus epulis mysterium, sed communia & naturalia sunt omnia. Ideò septimum illud & octauum quod subiicis idcirco præmitto vt existimationi tuæ con-

fulam. Tam enim inueneris Christi præsentiam, & quidem ad ipsius carnis & sanguinis *κοινωνίαν* communibus quantumuis piorum epulis promissam: quàm vestræ illius coexistentiæ & oralis manducationis somnium probaueris.

Negauī sacrum illud poculum siue vinum posse propriè vocari Testamentum siue Fœdus, quū duę res sint numero & re ipsa ac vsu differētes, diploma quo continetur præscriptum fœdus, & ipsius fœderis sigillum. At tu, *Parce*, inquis, *Redemptori*. Quasi verò verba Redemptoris inficietur qui *κατὰ τὸ πρῶτον* intelligēda esse neget. Parcat igitur tuæ calumniæ potius Redemptor noster, Hofmanne. Sed quid ad rem ipsam respōdes? *Externum quidem*, inquis, *est discrimen inter membranam & ceram, quæ tamen sensu & vsu non differunt. sunt enim duo diploma & sigillum, sed similiter se habet fœdus ad utrunque. Est enim diploma fœderis testificatio: sigillum autem eiusdem confirmatio.* Respondeo, illud tamen liquere, Hofmanne, aliud esse tum re ipsa tum vsu & fine ipsam pactionem vitæ æternæ, verbo Dei descriptam & expositam, quibus scriptis libris propterea Veteris & Noui Testamenti inscriptionem tribuimus,

mus, quàm externa signa huic seu verbo Dei, seu Doctrinæ in illo verbo comprehensæ, & ex eo in Ecclesia depromptæ adiuncta, vt eam in nobis ratam & authenticam esse confirment. *Sed, inquis, Sacramenta non sunt solum sigilla, sed sunt verbum Dei vestitum.* Sunt sanè ab vno & eodem Deo nobiscum loquente tum ipsa Euangelij doctrina, tum Sacramenta: & ad vnum eundemque finem, nēpe ad Dei voluntatem nobis declarandam, ac fidei instrumento nobis applicandam referuntur. Sed nihilominus Verbum doctrinæ, quo totum ipsum fœdus vitæ æternæ declaratur, discerni oportere à Verbo Sacramentali quo fœdus illud nobis peculiari ratione fruendum præbetur, diuersus finis proprius demonstrat, ac proinde fœderis illius appellationem Sacramentalibus signis propriè non posse attribui.

Vestram realem coexistentiam, & oralem manducationem, quo verba institutionis Cœnæ Domini κατὰ τὸ ῥητὸν intellecta detorquetis, solemus tribus inuictis & certissimis telis disicere, nempe, totius fidei Christianæ norma: Rationibus & principijs non ex humano cerebro, sed ex Dei verbo claro & perspicuo petitis: ac demum sine

ipſo Sacramentorū adminiſtrationis primario. Tu verò, quòd ad primum illud at-
tinet, nihil aliud reſpondes quàm te non
animaduerrere quomodo veſtra illa in fi-
dei normam incurrant. Doce nos igitur,
quàm essentialis præſentia Humanitatis
Chriſti cum vera ipſius profectione à no-
bis in cœlos, & permanſione in cœlis, & re-
ditu è cœlis, id eſt manifeſtè contradic-
toria, inter ſe poſſint conciliari. Quæ porrò
ſubiicis de ratione humana, ſpecioſè qui-
dem à vobis inculcari conſueuerunt, ſed
quo tandem iure? Quum enim ex puro pu-
to Dei verbo deducta ſit hypostatycæ vnio-
nis definitio, ex qua omnia noſtra de cir-
cumſcripto, finito & organico Chriſti
quantumuis glorificato corpore argumen-
tacum ſummo & expreſſo totius veteris
Eccleſiæ conſenſu deriuamus, num profe-
cta hæc ſunt ex prophana illius humanæ
ſapientiæ lacunis? *Corpus, inquis, non eſſe in-
uiſibile, verum eſt phyſicè.* Ergo verè de Chri-
ſti corpore phyſico dicitur, Hofmanne, cui
gloria naturam illam humanam verè cor-
poream, organicam, & palpabilem, non a-
demit, vt ſcitè, inquit Auguſt. & Chriſti
reſurrectionis hiſtoria declarat. Deinde po-
teſt aliquid nō ſua natura, ſed propter ful-
gorem

gorē aut aliquid interpositum inuisibile dici, vel quòd oculi intuēdum teneantur, vt quod vident, non videant: quæ tibi distinguenda fuerunt, vt te sincerè tecum agere ostenderes. Præterea, etiam si tibi largirer inuisibile esse re ipsa Christi corpus in terris, dic, quæso, an simul & eodem tempore visibile alicubi nēpe in cœlis, alibi verò, nēpe quot locis panes in Cœna Domini sumuntur, illud esse statueris: vel modò visibile, modò inuisibile Prothei cuiusdam instar esse Christi corpus dixeris? Quid? an aliquid inuisibile ore comeditur vel bibitur? an pluribus simul locis totum aliquid est quod verè corporeum sit? omnia verò hæc monstra veritati physici manentis corporis Christi, quantumvis *ὡς φουκός* donis supra res omnes creatas ornati, contradictoriè repugnantia, regi posse existimare infinita illa Dei Omnipotentia, quid aliud fuerit quàm Deum velle secum committere? Et humana hæc vocare quæ certis & immotis principiis verbo Dei testatis nituntur, quid aliud est quàm apertè calumniari? Tã enim certa, firma & immota sunt quæ res in Dei verbo expressas necessariò consequuntur, quàm quæ in sacris literis totidem verbis exprimuntur. Superest, pri-

marius ille tum verbi simplicis tum Sacramentorum, non diuersus vt tu putas, sed prorsus vnus & idem finis & scopus, nempe non vt substantia ipsa carnis Christi in credentium corpora traiciatur, aut nostra corpora in illius corpus transeant, sed vt Christus, noster vsque adeò fiat, & tanta efficacitate sese nobiscum spirituali & arcana virtute, licet manens in cœlis, copulet, vt per suum illum Spiritum, totum hoc mysticum corpus suum, & nouo iam nunc vigore sancto ac spirituali vegetet, & tandem æternæ ac cœlestis illius vitæ particeps efficiat. Talem igitur quoque tum in verbo simplici, tum in Sacramentis oportet illius carnis esse præsentiam, præbitionem, ac perceptionem, vestræ illi reali coexistentiæ, & orali præbitioni ac manducationi oppositam.

Dixi & ostendi te à te ipso in hoc dissentire quòd pag. libri tui 6. totidē verbis ista scripseris, *In Cæne verbis nihil offertur quo in tropum inducamur.* Contrà verò pag. 105. *non inuitus, inquis, largior in Sacramentorum institutionibus tropos alicubi occurrere.* ista verò quomodo concilias? *Sophisticaris, inquis loquor enim de tota institutionis historia posteriore loco.* Immò, inquam, tergiuersaris:

Tropos enim postea cōcedis in his verbis, Hoc poculum est nouum Testamentum in sanguine meo. *Rursum, ais, sophisticatur Beza, non enim opus est disputare, num poculum dicatur per tropum nouum Testamentum.* Imò, oportet, Hofmanne, vt omnes intelligant nō me, quum illa scriberem, sed te sic tergiversando Sophistā deprehendi. Ostēde igitur, quum hæc enuntiatio sit illud ipsum de quo inter nos quæritur, an sit tropicè an *κατὰ τὸ πρῶτον* intelligendum, hoc prædicatum, *Nouum Testamentum in sanguine meo* de hoc subiecto, *HOc POCVLVM κατὰ τὸ πρῶτον*, aut tropicam esse hanc attributionem concede, aut te manifestè veritati repugnare fatetor. De ipso verò subiecto quid statuemus? *Et si, inquis, poculum pro vino appellatum tropum feceris, (ego verò non facio, sed hoc à te ipsa veritas extorquet) tamen non sequitur vlla ratione vt eadem sit ratio in hac propositione, vinum illud est sanguis Christi, qualem locutionem inde colligi non negat Beza.* Et mox exclamans, *hæc te, inquis, malitiosum sophistam arguunt.* Scilicet, Hofmanne, ac non ita potius argueris tuo ipsius testimonio quod à te ipso diffētiās: & falsò scripseris, *nihil in Cœnæ verbis offēri quo in tropum inducamur*, Nec enim

Lucas scripsit *hoc vinum*, sed *hoc poculum*, quæ vox non nisi per metonymiam continentis pro contento accipi potest.

Iurène verò an iniuria sim cōquestus de Hieronymi & Aspastæ nostri nunc feliciter in Domino quiescentis locis abs te truncatis, ipsa librorum inspectio declarat, & illud quoque docet, quòd rursus pag. tuæ huius responsionis 39. *ausus es scribere, veram non esse perceptionem quam significatiuam* (id est tropicè expressam) *faciamus*: quasi videlicet tropicè loqui idem sit atque mentiri: siue falsum esse dicatur quod *γράφω* τὸ πρῶτον non sit accipiendum.

Quod Caluini quam Christi memoriam dicis esse nobis chariorē, dictauit tibi idem ille spiritus, qui tibi Epicureismi & Mahometismi criminationē non in me dūtaxat, sed in tot verè pios & sanctos Dei seruos suggessit, qua in re scio te potiùs quàm nos apud omnes bonos & conditos purgatione indigere.

Phrases illas metonymicas patribus vfi-
ratissimas, quibus metonymia sacramen-
talis in subiectum reiiicitur, vt quum cor-
pus Domini creari, in terram cadere, con-
sumi, videri dicitur, non temerè protuli.
Sunt enim totidem nostræ veræ metony-
micæ

micæ attributiones testes, quos refellere nunquam possitis. Quânam enim panis non fuerit metonymicè corpus, si corpus metonymicè dici potest fieri, comedi, & consumi? Et si Blasphemum est dicere panem non propriè sed metonymicè esse corpus, quânam illas locutiones non aliunde, quàm ex metonymicæ locutionis vera & necessaria reciprocatione exortas eidem blasphemix exemeris?

Quærens cur ubiuitatem apertè, vel non detesteris, vel non approbes, pro *Omnipresentia humane nature Christi* & *σούων* siue *substantiali*, quibus verbis usus eras, scripti, *Omnipresentem nature humane Christi substantiam*. Et hoc est scilicet, Hofmanne, tua verba mala fide describere *quoniã*, inquis, *istud potest de dominationis omnipresentia humane nature Christi donata intelligi, illud verò est adstrictus*. Quasi verò huic ambiguitati locum relinquat proposita de ipsius carnis Christi ubiuitate quæstio: vel quasi carnem Christi dicamus suæ substantiæ præsentia, ac nõ potius sua substantia verè à terris absentem, sola autè *ἐνεργεία* & *δυνάμει* præsentem, imperium in res omnes creatas exercere cœpisse, ex quo in cœlos ascendit.

Sed agè, ad rem ipsam accedamus. *Et ratio & pietas*, inquis, *prohibet ut vobiscum dicam impossibile esse Deo, etiam si velit, verum corpus simul & semel pluribus in locis sistere.* Primum addèda fuit particula *TOTVM*, ut omnis ambiguitas vitetur. Deinde nostrū non est committere potentiam Dei cum ipsius voluntate. Itaque non dicimus id esse Deo impossibile, etiam si velit: sed negamus id eū velle posse, nedum ut re ipsa id efficere possit. Cæterum quum rationem hīc nobis *αὐτῶν* proponas, non vides te illud ipsum agere, quod in nos præcipuè declamitare consueuisti? At id quidem, aliter prorsus quàm nos soleamus. Solemus enim ratiocinationibus nostris non simpliciter physica, sed verbo Dei subfulta substernere. At tu contrà, ut mox apparebit: nempe nec Theologicè certe, nec humanè physica proponis. *Pudet me* inquis, *accidentales conditiones physici corporis cum substantia, quæ sola perpetuò veritatem corporis præstat, confundere.* Immò, Hofmanne, quum substantia sit duplex, vna incorporea, altera corporea, ridiculum est dicere sola substantia definiri veritatem corporis, nisi differentiam addas, id est, nisi corpoream esse dixeris. Quod si corporea

est, &

est, & quidem sua quantitatē necessariò de-
 finita, Ergo quātitati suę conueniente spa-
 tio, vbicunq̄ue fuerit, comprehensa. Et cir-
 cumscriptiōnem audes, Hofmanne, inter
 accidentia corporis numerare, quum sit
 ipsamet corporis forma essentialis? Etsi e-
 nim verum est quod subiicis, aliter defini-
 ri corpus in prædicamento Substantię, quàm
 Quantitatis: tamen illud certissimum est,
 nullum esse corpus phisicum quod re ipsa
 non sit ποσόν, quia quantitas non nisi cogi-
 tatione à materia secerni potest. Spatia (in-
 quit Augustinus, & quidem ex professo de
 Christi etiam glorificato in cœlis corpore
 differens,) tolle corporibus: & nusquam e-
 runt, imò non erunt, *Didici etiam, inquis, à*
D. Philippo necessitatem phisicam, ut quæ mu-
tabilis sit Domino, differre à necessitate absolu-
ta & immota. Ecquis hoc negat, Hofmāne?
 Ecquis nostrum cum Stoicis Deum causis
 vllis secundis deuinxit? Sed quid est magis
 necessarium & immotum, quàm id quod
 Deus ipse immutabilis decreti sui clauo fi-
 xit? Talem autem esse corporis Christi ve-
 rè etiam in gloria phisici, id est essentiali-
 bus phisici corporis organici proprietati-
 bus præditi, ideòque visibilis, palpabilis, lo-
 co suo circumscripti, quisquis negare au-

debit, tota sacra historia, perpetuòque patrum omnium orthodoxorum consensu refelletur. Et de ratione quidem tua verè ἀλόγῳ haftenus, nunc ad pietatem accedamus.

Pietatis est, ais, credere Deum auctorem ac Dominum naturæ, etiam posse ea quæ principis naturæ aduersantur. Et quis hoc neget? Sed posse eum facere quod nusquam fieri velit, quis citra blasphemiam dixerit? velle autem vt perpetuò maneat corpus illud physicum & organicū, negari nisi nimium impudenter nequit. Ergo hoc etiam vult, vt nunquam illas suas proprietates essentielles veri organici corporis deponat. Imò quamuis verè possit Dominus ille noster omnipotens omnem naturæ ordinem mutare, sicut illum ex nihilo condidit: num existimabimus efficere illum posse, vt eodem momento sit & non sit qualis est ordo naturæ, id est cōtradiçtoria velle? Absit, Esset enim mendax, quum sine vlla prorsus exceptione, cōtradiçtoriorum alterum necessariò sit falsum. Demus ergo contra veritatē, posse corp⁹ Christi corporeis essentialibus proprietatibus carere: eodē tamen momento tale esse & nō esse minimè posset. Quare? quia Deum mētiri posse pietas non

finit

finit vt dicamus. Vis dicā aliquid amplius? Demus merè tam spiritualem euadere posse, salua corporea sua essentia, carnè Christi in sacra Cœna, quàm est Angelorum natura, vt voluisse videtur alicubi Lutherus, an propterea simul pluribus locis substantialiter adfuerit? Et si tam spiritualis fuerit, num ore comedi & bibi potuerit?

At, inquis, præsentia substantialis corporis Christi cum pane S. Cœnæ, ubicunque ea in terris legitimè administratur, est expressæ voluntatis Dei. Sanè Christi ipsius verè oportet nos membra fieri, vt in ipso seruemur. Sed ea tum præsentia, tum communicatione ipsius opus est, quæ analogiæ fidei nostræ, & reliquo Dei verbo ad amissim respondeat. quæ non fit cum veritate carnis ipsius ἀσώματος, quæ denique spirituali ac mysticè nostræ cū ipso vnitioni respōdeat, ac proinde non in terris, vnde nūc absens est, sed in cœlis, non manu (vt inquit pereleganter Bernardus) sed affectu, non oculo sed voto, non sensibus, sed fide peragatur.

Sed iubet, inquis, Augustinus, manente vero, physico corpore, paulisper modum & quantitatem cessare. Imò mala fide citas Augustini verba, Hofmannæ. Nec enim Quantitatis cessantis vlla apud illum men

tio: sed Modi, qua voce quid intelligat, plenissimè tibi respondi pag. posterioris meæ responsionis 305. Num verò Augustinus vel ex patribus orthodoxis quisquam, carnem Christi censuerit nunc esse nobis in terris quærendam, siue in verbo simplici, siue in sacris mysteriis, ex innumerabilibus penè illorum locis toties aduersum vestræ coexistentiæ essentialem & oralem manducationem citatis agedum læctores omnes pij & eruditi diiudicanto. Tātùm hæc tria repetā. Augustinus. *vbique crede Christum per id quod Deus est, in cælo autem secundum veri corporis modum.* Cyrillus. *Nullus ambigit Christum quum ad cælos ascenderit, quamuis virtute spiritus adsit, tamen presentia carnis abesse.* Vigilus: *Quando caro in terra fuit non erat utique in cælo: & nunc quia in cælo est, non est utique in terra: & in tātùm non est, ut secundum ipsam expectemus venturum de cælo, quem secundum verbum nobiscum esse dicimus.* Et mox. *Hæc est fides & confessio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vsq; custodunt.* Hæc illi ex Dei puro puto verbo: quibuscum sentiētes minimè veremur ne coram Dei tribunali, vel Epicureismi, vel Mahumetismi, vel blasphemii, vel impij

ex

ex Hofmanni de conscientia aliena tam confidenter pronuntiantis arbitrio damnemur.

Sed audiamus tuas istius aduersus vbi-quitatem ἐφεκτικῆς γνώμης, vel fortassis ampliati iudicii grauiores ac planè fonticas, vt tu apellas, causas. Si vbiunitatis dogma est à Deo, dixi teneri te illud apertè probare: si non est, damnare. Excipis *te non teneri omnia quæ verbo Dei non traduntur palam & aperte detestari: ideo suspendere iudicium quòd omnes, ipso teste Apostolo, cognoscamus ex parte: nostras omnes argumentationes quibus probare studeamus ἀθεόλογον esse dicere quòd corpus Christi simul & semel sit pluribus locis, in neruo concludendi deficere.*

Cedo verò, Hofmanne, si putas omne Dei consilium esse nobis, quod ad salutem attinet, non perplexè, nec obscurè, sed apertè & perspicuè in scriptis prophetis prædictum, in Apostolicis exhibitū: an nō quicquid fidei Christianæ dogmatibus additur, nobis est vt adulterinū repudiādū? Itaque ad falsitatē alicuius dogmatis deprehendā non semper requiritur vt expressis verbis damnetur in Dei verbo: sed satis est ostendisse in verbo Dei non extare, neque tacitè neque expressè scriptum. Vbiunita-

tis autem carnis Christi dogma ubi tandē
 in sacris literis comperies? Nam Omnipotentia
 Dei latibulum futile est, nisi prius de Dei
 voluntate patefacta nobis constiterit. Illas
 vero à sessione ad dexteram patris petitas
 captiunculas: & quòd separentur naturæ,
 nisi ubi vna est, sit & altera: & ista,
*ut omnia implet, ego vobiscum sum, filius
 hominis in terra cum Nicodemo loquens est
 in cælo*, ne tu quidem, opinor, ad ubi-
 quitatem carnis detorqueri patiaris. Quod
 si tibi largiar istā ubi-quitatem in sacris
 literis, neque probari neque improbari: an
 non saltem eorum audaciam tenēs apertè
 damnare, qui nostræ salutis proram ac
 puppim in eo collocāt? qui omnes à se
 hac in re dissentientes pro Arrianis, Nesto-
 rianis, Mahumetanis habent? qui stare
 siue illa nullo modo posse vestram illam
 de Cæna Domini sententiam tantis clamoribus
 vociferantur? Sed quorsum ad hæc deueni-
 amus? Annon tot testimoniis redarguitur
 illud dogma quot locis asseritur illa
 perpetua & immota veri humani organi-
 ci corporis Christi veritas? an venire,
 abire, ascendere, descendere dici propriè
 potest quod ubiq; est essentia sua? Et
 si ista improprie de carnis dicuntur, quid
 obstat

obstat quominus in Marcionitarum castra transeamus? Si teste Apostolo propriè verum est, nos interris peregrè abesse à Domino. si migrandū hinc nobis est, vbi Christus est: si verū est Angelis testibus, Christum post resurrectionem non fuisse in sepulcro: si Christus ianuis clausis intrauit eò vbi antea nō erat: si cælos & inferos vbi que apertè constituere est contra Dei verbum, cælū terræ miscere: ambigis, Hofmāne, quin firmissimis & penitus irrefragabilibus ex Dei verbo depromptis conclusionibus vbiuitatis dogma, vt merè Eutychi anū damnetur? Nec enim ista simpliciter absurda sunt humanæ rationi, cuius legibus impium sit Dei potentiam cōstringere: sed falsissima sunt, quia verbo Dei constitutis ex diametro contradicunt, nisi quis fortasse tenebras lucere demonstrat.

Deinde cū oēs istos errores vera & irrefragabili hypostaticę vnitionis definitione certissimū sit cōuelli, tū aduersus Nestorianos personā dissoluētes, tū aduersus Eutychianos & naturarū ipsarū, & earū essentialiū proprietatū σύγχωσιν inuehētes: aut tibi demōstrandū est falsam illā esse, quod fuerit Christianismū inficiari, nec sanè velis, sat scio: vel ab illa vestrā coexistentiā excipere, quū tamē Cæna sit è cōtrario institu-

ta, ut fidei Christianæ veritatem illam omnes vno consensu profiteamur, & testibus ipsis Angelis obfirmem⁹, Et hoc sanè illud est, si verum ingenuè fateri vis, quod te adhuc remoratur.

Et si enim Lutherus alicubi pedem referens, vult questionē de Vbiquitate à controversia de Cæna Domini semoueri, (cui saltem obsequi te oportuit) & in ipsis institutionis verbis subsistendum monet contra verorum Vbiquitariorum dogma: tamen necessariò fatèdum est Vbique esse & PLVRIBVS siue paucis siue multis simul TOTVM esse, vnius & eiusdem esse naturæ & virtutis, non certè humanæ (quæ necessariò est organica & localis) nec etiam Angelicæ (utpote quæ etsi non λόγω ut nec animæ nostræ proprietate, tamen naturæ suæ definitur) sed vnius diuinæ, sicut patres rectè & irrefragabiliter aduersus Macedonianos ex Dei verbo definierunt, utpote quæ sola sit infinita, neque vlllo loco comprehensibilis.

Et te hoc quidem animaduertisse video, ideoque etsi non prorsus apertè, tamen non prorsus dissimulanter illam hypostaticæ vnionis definitionem quamuis sub Omnipotentia diuinæ scuto delitescas

cas, aggredi. Quasi verò potestatem simul, eiusdemque subiecti respectu, volēdi & faciendi cōtradiçtoria, Deo tribuere, sit Deo tribuere omnipotētiæ gloriã: ac non è contrario falsitatis notam illi affingere. Distinctas enim manere in hypostatica vnione singularū naturarū proprietates essentielles, neq; subiecta sua egredi, &, quod tu ais pag. 76. & 77. vnus nature essentielles proprietates alteri tribui reipsa, nunquam inter se magis quàm lucem & tenebras, finitum & infinitum, conuenire ostenderis. Et quum hoc in philosophicis valere dicis à te fuisse demonstratum, de quo scripto nunquam ego quicquam audiui, perinde facis ac si diceres in rerum natura vnã speciẽ esse alteram, & vnū indiuiduum esse alterum, quum speciebus suæ essentielles proprietates quibus à cæteris distingūtur, sint *Τὸ Τὸ ἰν εἶναι*, & ab indiuiduis indiuidua suis indiuiduantibus proprietatibus, quibus id demum sunt quod sunt, secernantur: ac proinde nec Homo sit Bos, quādiu Homo est: nec Petrus sit Ioannes, quādiu Petrus est. In Theologicis verò, in hoc de quo loquimur argumēto, tum demum euiceris essentielles aliquas Dei proprietates reipsa in carnem Christi effundi, aut cō-

trà, quū pro Eutychiani dogmatis defensione Humanitatem euadere posse Deitatem, aut mutabilē esse Deitatē ostenderis. *At enim, inquis, realiter & verè Caro Christi est viuifica, nempe, quatenus tradita est in mortē pro mundi vita, & Christi sanguis emundat nos ab omnibus peccatis, nempe quatenus fusus est pro nobis: Etenim vis illa mentem nostram renouās, & volūtātē nouam creās, & beatā immortalitatem credentibus suo tempore præbitura, cuius arrabonē nunc habemus Sp. Sanctū, vnius Deitatis est propria, & aliter quàm vni-tione hypostatica, in qua distinctę manent singularum naturarum proprietates, prorsus ἀποινώντος. Tota denique humanitas, & totum Humanitatis Christi alio etiam respectu viuifica sunt: quatenus videlicet non nisi illius spiritualiter tum in simplici verbo, tum in Sacramentis per fidem apprehensæ interuētū, vitam illam æternam ex eiusdem Christi Deitate in ipsam Humanitatem Christi vt capitis, & per illam veluti canalem in nos quoque vt ipsius membra & mysticum corpus factos deriuatā, participamus, sicut antea exposui, addito quoq; inter essentialis proprietates & quæ attributa Dei vocantur discrimine.*

Sed

Sed cur, obsecro pro ipsa virtute viuificatrice, potestatem illam si non omnibus, at certè innumerabilibus penè locis realiter, & essentialiter In, sub, vel cum pane existendi in medium non proposuisti? Vnum enim & idem fundamētum est vtriusque illius, nempe Deitas : vnum & idem vtriusque velis nolis, principium : nempe hypostaticæ vniōnis vis, nisi fortè mauis existimare vniōnis hypostaticæ definitionem per sacræ Cœnæ institutionem violari. Vnde verò istud, idest, Deum à seipso dissidere ostendes ? Nempe ex istis verbis : *Hoc est corpus meum traditum pro vobis, & hoc est sanguis meus effusus pro vobis.* Atqui istud quid aliud est quàm principium in disputando petere, siue illud ipsum de quo disputatur vt probatum assumere ? Quantò igitur rectiùs facimus, quum eorum verborum hanc demum explicationem rectam & orthodoxam esse dicimus, quæ cum fidei Christianæ articulis & ipso fine primario Sacramentorum consentit : falsam autem & reiiciendam illam esse affirmamus & probamus, quæ cum illis est prorsus ἀσύντατος ? De istis igitur, Hofmanne, rogo & sincere in Dominò precor, vt amplius cogitare sustineas, & quum tam acriter, & tanto

cum offendiculo inter vos etiã num hodie certetur de isto Vbiquitatis dogmate (quo certè sublato, vt rectè vidit Brentius, & rectè iudicat Iacobus Andræas, necessariò quoque tollitur realis illa vestra coexistentia quam orali manducationi pari necessitate substernitis,) tute iudica an satis rectè tot piorum conscientiiis consulatis dum istud vbiquitatis dogmatis vel approbationem, vel condemnationem suspenditis: dogmatis inquã: nam quòd ad illius auctores seu fautores attinet, vnus est Dei suo tēpore de ipsis statuere. Et quamuis eò vsque progressos illos esse videam, vnde non facillè sit pedem referre, confidentiam tamen vestram in damnando quoquam minimè velim aut possim imitari, homo & ipse miserimus, & humani à me nihil alienum putans. Itaque potius ex animo Deum Opt. Max. pro illorum in cognitione veritatis maiore & feliciore progressu, & pro totius Ecclesiæ pace & concordia precibus assiduis, quarum mihi Deus testis est, interpello: postulans in primis vt hunc odii & maledicentiæ spiritum malum coerceat: & Christianis omnibus Principibus ac Magistratibus hoc in animum iniiciat, vt ista quiduis scriptitandi & mutuò sese tum scri-

ptis, tum voce lacerandi licentia serio cohibita, in piam, sanctam, & tam necessariam verè doctorum, & pacis amantium hominum synodum, breui consentiant: in qua verè Christiano zelo pacificè, ex Dei verbo, & omnes exortæ inter nostras, Antichristianis alioqui oppositas, Ecclesias controverfiæ componantur, & probabiliter exorturis, quoad eius fieri potest, occurratur. Et de his quidem hætenus. Ad cætera si me coegeris, vel ego respondebo, vel non deerit alius qui meo nomine veritatis defensionẽ suscipiat, dum magis necessariis laboribus aliis, si me Deus superstitem esse voluerit, immoriar.

F I N I S.

*Errata sic corrigito, Numerus primus paginam,
secundus lineam denotat.*

Pagina 2. linea 1. lege percussum, l. 14. ἀσύστατα, p. 3. l. 20. impanatus, l. 27. τὸ ῥητόν, p. 7. l. 24. dele enim, l. vlt. sacramentali, p. 10. l. 24. quiddam, p. 11. l. 26. post glossema leg. Etenim illud, p. 16. l. 17. dele ita & reponere post fouet, p. 17. l. 15. cuius, l. 25. in illa, l. 26. concione, p. 18. l. 11. Cœnam, l. 27. σωματικῆ, p. 19. l. 12. ἐνεργητικότητω, l. 23. funem, p. 21. l. 6. præbitiua, l. 14. sequutus, l. 15. voluit, l. vlt. quàm diligenter ad suum modum, p. 24. l. vlt. ratiocinationem, p. 25. l. 21. siue, l. 25. metonymiæ, p. 26. l. 27. χάσεως, in ipsa inquam copula, p. 28. l. 10. hæc duo, l. 18. ὑπιστάμενον, p. 29. l. 17. spatium, p. 41. l. 1. post peccatorem, adde fateor, l. 12. qui frigidum, l. 13. quorū facta sunt, l. 18. ex verbo, l. 22. probaris, p. 42. l. 17. Helueticæ, l. vlt. futurus & reus itidem, p. 54. l. 13. quod nunquam, p. 58. l. 1. obsequendo, l. 7. concedens, l. 9. Quæro, p. 59. l. 18. iubes, p. 60. l. 15. pulchrè, p. 62. l. 21. Tigurina, p. 65. l. 9. in sese, p. 68. l. 21. quæ & Esse, p. 72. l. 23. Ei quod, ead. l. respondi, p. 75. l. 17. illaqueari, p. 76. l. 16. dele hanc, p. 83. l. 22. discrimine constituentes, p. 89. l. 2. Beza, l. 3. refert, l. 25. ex aduerso, p. 90. l. 6. deminuta fuerat, p. 91. l. 7. proprium obiectum, p. 92. l. 3. sit in sese, l. 13. si libebit, p. 93. l. 15. vibicibus, p. 96. l. vlt. Iconiensis, p. 100. l. 17. Brentianam, p. 104. l. 5. præsertim disputatione, p. 110. l. 16. iste Caluini, p. 114. l. 1. doceat, p. 116. l. 10. hoc tuum, p. 118. l. 1. Sacramenti: quæ non, p. 121. l. 7. positam deceat, l. 8. præberi, l. 24. 122. p. 134. l. 3. quoque, l. 14. apprehēdūtur, p. 135. l. 17. spoliis illa ornare, p. 137. l. 11. Ne, p. 149. l. 5. mystica actione, p. 150. l. 11. dele signum, p. 156. l. 5. per fidem, p. 164. l. 20. scito, p. 165. l. 1. attributionis, p. 167. l. vlt. sic cum scripti statum.





